







FINNI JOHANNÆI

S. THEOL. DOC. ET EPISCOPI SKALHOLT. IN ISLANDIA

TRACTATUS THEOLOGICO-HISTORICO-CRITICUS DE NOCTIS PRÆ DIE NATURALI PRÆROGATIVA AUT DUBIA AUT NULLA.



HAVNIÆ MDCCLXXXII.

Proſtat apud GYLDENDAL,

Univerſit. Havn. Bibliopol.



Lector Benevole!

Is ipſe, qvi fatetur, ſibi eſſe Nomen Mirabilis, cujus omnia dicta & facta ſunt mirabilia, imo inenarrabilia, is, inqvam, ipſe in ſacris ſuis ad nos transmisſis Pandectis & propoſitis edictis plus ſimplici vice jubet & hortatur, ut miranda ſua contemplemur, rimemur, ſcrutemur, ut ex ſcrutinio oriatur cognitio, ex cognitione fides, ex fide ipſius amor, ut & tantorum tanti auctoris operum admiratio & obſervantia, omnia enim de ipſius admirabili

ſcientia, juſtitia, potentia, bonitate, aliisqve attributis plane divinis, & omnem humanam ſapientiam & potentiam longe ſuperantibus, irrefragabile ferunt teſtimonium.

Ad tale ſcrutinium inſtituendum, ex qvo Deum & res divinas potuiſſemus recte cognoſcere, ipſe nobis in prima creatione ſufficientes largitus eſt vires, qvas ſi conſervaſſemus, multo plura jam ſciremus & intelligeremus, præſertim qvæ ad univerſi creationem & rerum naturam pertinent, qvam jam ſcimus & intelligimus, nam qvam acutum ingenium & ſubactum judicium Deus homini dederit, ex Adami, in ſtatu integritatis conſtituti, exemplo colligi poteſt, qvi unicuiqve animantium, avium, arborum, herbarum, nunqvam antea viſis conveniens eorum naturæ nomen indere potuerit, qvam ingenii, proh dolor! felicitatem ita perdidimus, ut tota noſtra ſcientia, etiam in ſtatu reſtaurationis, non modo ita ſit imperfecta, ut cognoſcamus tantum ex parte, ſed etiam magno expoſiti ſimus periculo, ne opinio-

nionum varietate in errores inducamur, mundum enim opinionibus regi, tam certum eſt, qvam qvod certisſimum.

Sed probe hic diſtingvendum tam inter objecta noſtræ cognitionis, qvæ non unius ſunt generis, qvam inter media & principia cognoſcendi, qvæ pro diverſitate objectorum diverſa ſunt; eorum enim ut qvædam ſunt mere divina & coeleſtia, qvæ communiter vocantur *Articuli puri*, id eſt tales, qvi ex ſola revelatione divina cognoſci poſſunt, qvædam vero coeleſtia qvidem & divina, ut & homini æternum ſalvando cognitu neceſſaria, ſed ſanæ rationi ita obvia, ut ab eadem, modo debite uſurpetur, & ad ductum ſ. ſcripturæ inſtituatur, facile cognoſci, intelligi & credi qveant, qvi a duplici hocce cognoſcendi principio, revelatione ſcil. & ratione, communiter nuncupantur *Articuli Mixti*.

Inter Mixtos hoſce articulos fidei primus aut certe non ultimus debetur locus Articulo de Creatione totius mundi, ſana enim ratiocinatio per rerum ac

earundem causarum & principiorum sobrium examen eo pervenire potest, ut firmiter statuat & concludat, omne materiale ac compositum, qvod aliqvo modo corrumpi potest, nec a priori, (ut loqvi amant) nec a posteriori æternum esse, sed habuisse initium, & habiturum finem, noscere itaqve aliqvam superiorem & nobiliorem causam & architectum, qvi ea formaverit, & in statum ac ordinem, qvo apparent, redegerit, qvod est ipsa creatio; sed ordo, modus, tempus, aliæqve circumstantiæ creationis, rationi humanæ incognitæ sunt & imperviæ, ac ex sola SSra hauriendæ, non qvod tanta sint mysteria, ut ratiocinationi sint nimis alta & inpenetrabilia, sed ob defectum relationum & historiarum. Omnia enim, non modo qvæ ante universalem cataclysmum, sed & ante annum Mundi 3500 acciderunt & facta sunt, non aliunde qvam ex SSra certe cognosci & peti possunt. Qvæ enim alibi apud Auctores profanos de his occurrunt, aut falsa sunt, aut fabulosa, imo Chaos qvoddam, veritatis speciem habens, qvod per varias traditiones ac flexuosos trami-

tes

tes a Judæis ad gentilium ſcriptores pervenit.

Ut itaqve articulus de creatione inter Mixtos illos primus eſt, ita magni momenti eſſe videtur, in ejus circumſtantias paulo ulterius inqvirere. Cumqve tempus cum ſuis affectionibus, metis ac menſura, qvibus ipſe Creator ſtatim a primo creationis momento Diei ac Noctis nomen, ſed lucis ac tenebrarum indolem ac affectum indidit, inter res creatas de creatoris ſapientia ac majeſtate vel maxime teſtetur, operæ pretium eſſe videtur ſcrutari, qvodnam horum prius fuerit creatum, inde enim eluceſcit, utrum mane, meridie, veſpere aut noctu magnum creationis opus inceperit, de qva non obſcura qvæſtione uberius commentari nobis eſt propoſitum, ſed priusqvam ipſam rem aggredimur, ſcriptionis occaſionem & cauſam, deinde qvas ſcribendi leges nobis propoſuerimus, & tandem qvibusnam mediis (ut ita dicam) hermeneuticis uti conſtituerimus, palam profitebimur, ne Lector plura aut majora ſibi a nobis ſpondeat, qvam proferre conſtitutum eſt. Qvod

Qvod primam hujus ſcriptionis cauſam attinet, non fuit illa, ut qvibusdam ſiniſtre interpretantibus videri forte poterit, purum putum ſcribendi cacho-etes, & multo minus novas opiniones aut ſchismata propagandi pruritus, ſed ingens illa datorum ſeu temporis notationum diverſitas, ubiqve fere obvia, inter illa, qvæ in antiqvis qvibusdam hiſtoriis & legibus politicis occurrunt, & methodum, qva uſi ſunt ſeqvioris ſeculi Legum Eccleſiaſticarum conditores, qvi tempora nunc per noctes inter feſta notarunt, nunc eadem per dies ab hoc vel illo feſto indigitarunt, ut & qvæ in Codicillis, judiciis, & conſtitutionibus, permutationum tabulis, & talibus documentis, poſt annum 1300 confectis, apparent; ab hoc enim tempore ſeu Seculo XIV noſtrates annos reparatæ ſalutis documentis adſcribere coeperunt, qvæ data dicuntur hoc vel illo profeſto, Vigilia, vel etiam vigiliæ veſpera &c. Qvæ diverſitas, aut, qvod verius eſt, diverſæ, ſi non plane perverſæ eorundem loqvendi modorum explicationes, qvas qvidam inter nos Viri eruditionis laude con-

confpicui editis fcriptis publice tueri non dubitarunt, tantum nobis, cum in concinnanda Hift. Eccl. Isl. defudaremus, facesfivit negotium, ut qvo nos verteremus, aut ubi pedem potisfimum figeremus, plane nefciremus; præfracte enim contendebant, omnem antiqvitatem diem naturalem non modo a vefpera feu hora 6. fed etiam ab hora diei 3. inchoaffe, nam talis computus, præterqvam qvod cum antiqvorum horologio & dies numerandi & tempora difcernendi modo, nullatenus conciliari potuit, magnam etiam hiftoriæ, præfertim in rebus momentofis, & accuratam reqvirentibus datorum notationem, confufionem attulit, unde nobis in hanc rem penitius inqvirendi nata eft necesfitas, qvod initio ita leviter & perfunctorie egimus, ut exftantiora tantum huc fpectantia loca, qvæ inter legendum noftratium fcripta fe offerebant, in memoriæ levamen fingularibus illineremus chartis, illum faltim in finem, ut fibi contradicentia eo facilius conferri, genuinus cujusvis loci fenfus elici, vera inde confeqventia deduci, & tandem de

re tota certa idea formari poſſet, ex qva accurata collatione, & tentata ſæpius conciliatione, talem tandem nacti ſumus ideam, qvalem hujuſce Tractatus ſectio V. exhibet; ſed cum Viri illi docti noſtratium ſcriptorum teſtimoniis, qvæ ſibi uſui eſſe videbantur, ſuam theſin confirmare non contenti, Romanos etiam & Græcos, imo ipſos Hebræos, & cum primis ipſam ſcripturam in aciem producerent, qvorum dicta & effata ita ſæpius proferunt, & explicare videntur, ut qvicqvid liberet illis probare posſint, non ſecus ac qvi Atheismum in Pſ. 14. & cædem hæreticorum Tit. 3. v. 10. conceſſam inveniunt, qvæ examinando, diſcutiendo aut refutando, ne bonam atramenti & chartæ partem perderemus, (de tempore enim & labore tanto talique operi impendendo hic non loqvimur) ſicco pleraqve pede transgredi viſum eſt, & ut a nobis penitus intacta ſibi habeant permittimus, ea autem examine digna cenſuimus, qvæ aliqvam veritatis ſpeciem habere viſa ſunt. Hinc cum Islandorum huc pertinentia monumenta, qvorum nobis copia fuit, hoc

modo

modo percurrissemus, noscendi curiositas nos incessit, qvid aliæ cultiores gentes, imprimis vero Judæi, natio supremo numini diu amata, & propriis ab eo legibus & pandectis instructa, hac de re sentiverint, tandemqve cum reliqvas gentes suas consvetudines a Judæis accepisse, Judæos autem suas, qvæ melioris frugis sunt, ex SS[ra] deprompsisse comperimus, ad ejusdem deniqve perlustrationem, & accuratissimam hac de re inqvisitionem delati sumus, in qva nihil, qvod conceptam ante opinionem infringeret aut evelleret, invenire potuimus, sed contrarium qvid, scil. ea loca atqve dicta (ut sunt Gen. 1. 5. Dan. 8. 14.) qvæ nobis ante contraria videbantur, jam nobis non obstare comperimus, cum nihil hac de re in se contineant, sed aliud plane diversum & multo sublimius inculcent, ut ex ipsa Tractatione conspici potest. Nacti itaqve majus otium, ne hæc opella penitus periret, horas qvasdam succisivas chartarum recognitioni impendimus, rudemqve illam & indigestam excerptorum farraginem in hancce operis formam redegimus, minime

nime ut noſtram ſententiam aliis obtrudere vellemus, ſed ut eandem hoc modo cordati Lectoris æqvo ſiſteremus judicio.

Ut ſupra innuimus, SS^ram^ primo ſcil. & principaliter Moſaicam in Libro Geneſeos contentam, utpote ex inſtituto de hac materia tractantem, & deinde alia SS^ræ^ loca, qvæ huc pertinere videntur, licet non ex profeſſo hac de re agant, ſed oblata tantum occaſione, certam ob cauſam, noſtræ theſeos aut mentionem faciunt, aut aliqvid, ad ejus illuſtrationem conducens, continent, ut unicum fontem, ex qvo hujus rei notitia & certitudo hauriri posſit, profitemur; unde etiam eam unice ſeqvi, firmiter propoſitum nobis eſt. Reliqva autem apud alios ſcriptores Judæos, Chriſtianos & gentiles occurrentia, ſi non cum SS^ræ^ effatis ad amusſim concordent, ut meras conjecturas & improbabiles opiniones, in diverſa ſæpe abeuntes, parum moramur. Maxime tamen Judæis credendum, & primum locum concedendum eſſe fatemur, qvamdiu Rabbinico

ſuo

ſuo genio non nimium indulgent, qvod non ex ſtolido qvodam faſtu ſcaturit, ſed ex ſola ac debita erga SSram reverentia, cum eam in hocce adæqvatam normam, competentem judicem, & habilem teſtem agnoſcamus.

Locis & effatis ſcripturæ, prout res poſtulabit, producendis, ſimpliciter & κατὰ ῥητὸν utemur, verbo verbum reddentes, & nullas admittentes Allegorias, Tropos aut figuras, nec alienos aut remotos ſenſus, niſi ſumma urgeat necesſitas, ſed ſemper genuinum Textus ſenſum adhibebimus, illumqve, qvi inde ſimpliciter & ſine ullo artificio fluit, pro genuino habebimus: ſicubi autem ex uno dicto duplex, unus ſcil. ex nudis verbis prout jacent & ſcripta ſunt, alter vero aut ex rebus, mente Auctoris, contextu & locis parallelis elici poteſt, hunc omnino priori præferemus. Tandem etiam multum ordini, qvo in rerum enumeratione utuntur ſacri ſcriptores, tribuendum putamus, præſertim ſi idem ſæpe uſurpetur, ſi vero ille alicubi rumpatur, gravem ſubeſſe cauſam

ſam putandum eſt, in qvam omnino inqvirendum, nam conſveti ordinis immutatio, ſenſus mutationem, aut tale qvid innuere videtur, ſimili ſinceritate hiſtorias civiles huc pertinentes, tractaturi.

Poſt SS^{rae} dicta & loqvendi modos, ex qvibus aliqvid de Patriarcharum conſvetudinibus, & Judæorum huc ſpectantibus placitis elici potuit, in patriæ noſtræ documentorum ventilatione & noſtratium perſvaſionibus exponendis ea de cauſa prolixisſimi fuimus, maximamqve curam & laborem impendimus, qvod eorum qvam alienorum copia ac notitia inſtructiores eramus, illaqve & eorum perverſa explicatio huic ſcriptioni primam dederunt occaſionem. Reliqvarum vero, & earum ſaltim gentium conſvetudines, qvæ aut inſigni potentia aut eruditionis laude floruerunt, parcius multo tractavimus, & primis tantum digitis tetigimus. Sed qvomodo nos hac in re geſſerimus, æqvi cordatiqve Lectoris ſiſtitur judicio.

His

His præmisſis, ad ipſius argumenti tractationem nos accingimus, qvæ ut eo luculentius inſtituatur.

Primo abhinc ad § XIX. aliqvid de diverſitate ſententiarum circa hiſtoriam creationis, præſertim vero circa creationem lucis & tenebrarum, ſeu diei & noctis, ab interpretibus divulgatarum, adferemus.

Secundo inde ad § XXXIV. adferemus loca & effata Sacri Codicis, qvæ pro diei prærogativa militare videntur.

Tertio hinc ad § LXVII. adducemus loca & dicta, qvæ noctis præ die præſtantiam commendare videntur.

Qvarto a § LXVII. ad § LXXXV. obſervabimus variarum gentium praxin.

Qvinto qvid Islandi hac de re ſentiverint a § LXXXV. ad § CXXII. perluſtrabimus & diſcutiemus.

Tan-

Tandemqve noſtrum judicium, qvantum hiſce argumentis tribuendum ſit, *Epilogi* loco ſubjungemus.





SECTIO Ima.

§. I.

Hebræorum gentis, cui præ aliis concredita fuerunt elogia Dei, felicitatem, & præ omnibus gentibus prærogativam, Propheta Regius eo nomine laudat, qvod Deus ei ftatuta fua patefecerit, & judicia annunciaverit, eo præcipue, ut videtur, fine, ut apud eandem vera Dei, ejus voluntatis, actionum, & in humanum genus beneficiorum cognitio & memoria farta tecta confervaretur, ac ad alios transfunderetur, qvod hanc nationem fideliter fecifle

 non

non eqvidem negamus, licet qvandoqve patefactæ a Deo & scriptæ a Prophetis veritati coelesti, aliqvid de suo addiderit, inter qvæ haud immerito numeranda sunt paradoxa illa, qvæ de supremi Numinis actionibus antemundanis nos docuit, scil. qvod, anteqvam mundum condidit, hæc septem creaverit: Paradisum, legem, justos, Israel, solium Majestatis, Jerusalem, & Messiam; Alii autem dicunt, decem res creatas esse vespera Sabbati inter luces: Iridem, Manna, puteum petræ, Columnam nubis, columnam ignis, scripturam, tabulas, baculum Aaronis, cum floribus & Amygdalis ejus: Qvibus alii Dæmones & sepulchrum Mosis adjiciunt. Qvæ qvantum a scripturæ tenore abscedant, nostro monito & commentatione non opus est, tantæ enim sunt absurditatis, ut eorum recitatio sit eorum refutatio. Talia autem licet finxerint & fabricati sint dogmata & traditiones Judæorum Magistri, & qvæ ejusdem farinæ plura in eorum Libris occurrunt, immerito tamen insimulantur, qvod generalem qvandam sacræ scripturæ adulterationem procurarint, nosqve hæc non ideo hic attulimus, ut eos tanti sacrilegii accusemus, sed tantummodo ut ostenderemus, qvam absurdæ sint eorum traditiones, qvas a majoribus se accepisse glorientur, qvibus ipsi divinam attribuunt auctoritatem, & non minus credunt, qvam ab ipso Numine profecta fuerint, talesqve sunt & earum similes,

ſimiles, qvæ nos §. V. & alibi in hoc Tractatu notamus, & inſulſitatis inſimulamus.

§. II.

Actiones itaqve ſummi Numinis ante creationem nobis ignotæ ſunt, cum Deo eas revelare non placuerit, tacente itaqve ſcriptura, nobis etiam de ea re tacere tutisſimum eſt. Tantum autem nobis indicare voluit, qvod lucem illam inacceſsibilem inhabitaverit 1 *Tim.* 6. 16. de qva Salvator ipſe loqvitur *Joh.* 17. *Glorifica tu me Pater apud te ipſum, ea gloria, qvam habui apud te, priusqvam mundus eſſet.* Et paulo poſt: *Pater! volo, ut illi, qvos mihi dediſti, ſint apud me ubi ſum, ut videant eam meam gloriam, qvam dediſti mihi, qvia amaſti me, antequam mundi fundamenta jacta fuerunt.* Sed de aliis actionibus Dei antemundanis, (licet rationi humanæ conſentaneum ſit cogitare, Deum nunqvam fuiſſe, nec unqvam eſſe poſſe otioſum Cf. *Joh.* 5. 17.) in ſcriptura altisſimum eſt ſilentium, niſi qvod Apoſtolus *Eph.* 1. 4. dicit, *Deum elegiſſe nos in Chriſto, antequam mundi fundamenta jacta fuerint.*

§. III.

Pariter nobis incertum eſt, qvando exſtiterint angeli, aut ſpirituales ſupracoeleſtes creaturæ, cum nihil de earum creatione habeat SSra,

nisi qvod ipse Deus dicit *Job.* 38. 7. *ubi eras, cum fundarem terram, cum stellæ matutinæ & omnes filii Dei laudarent me.* Ubi per *filios Dei* aut *stellas matutinas*, non possunt intelligi homines nec coeli, nec ulla sydera, utpote nondum creata, sed angeli, archangeli, potestates, principatus & dominia, qvæ *Eph.* 1. 21. & alibi sacra pagina nominat. Qvidam autem hæc ante mundum fuisse negant, qvod antemundanum esse idem sit ac esse æternum, qvod soli Deo competit. Sed non bene attendunt genuinum verborum sensum, qvi talis esse videtur, qvod nullæ prorsus creaturæ exstiterint, cum Deus opus creationis mundi primo inciperet, præter *stellas matutinas* & *omnes filios Dei*, qvi eum tunc laudarunt. Cum vero eum laudarent, dum terram fundaret, id est ante jacta mundi fundamenta, certum est, eos exstitisse & antea creatos fuisse. Nec altera illa instantia firmiori nititur talo, antemundanum omne æternum esse, & ipsi Deo coævum, qvasi æternum numen nec potuisset nec voluisset spiritualia entia ante mundum creare, nisi ipsi essent coæterna. Taceo qvod, licet omnia antemundana sint (nostro concipiendi modo) æterna, non seqvitur, qvod talia sint Deo ipsi coæterna, cum nos cognoscamus tantum ex parte, qvasi per speculum & in ænigmate, ille autem omnia possit facere supra id, qvod intelligimus, qvis enim unqvam ejus consultor fuit? Sed hac de re, scil.

qvando

qvando & qvamdiu ante mundum conditum creati fuerint angeli, nihil certum ſtatui poteſt, cum Deo nobis id revelare non placuerit: *Moſi* enim conſtitutum fuit, nos de rerum corporalium, ſed non de ſpiritualium & ſupracoeleſtium creatione inſtruere.

§. IV.

Hiſtoriam creationis univerſi ita orditur divinus ille ſcriptor *Moſes: In principio creavit Deus coelum & terram, & fuit terra vacuitas & inanitas, & tenebræ fuerunt ſuper abyſſum, & ſpiritus Dei incubavit ſuper aqvas; & dixit Deus: Fiat lux; & facta eſt lux.* Cujus loci non tantum verborum, ſed etiam contentorum tot & tam diverſas humanum ingenium excogitavit explicationes, ut earum multitudo & diverſitas magis obruat qvam inſtruat; multi enim & plures & graves in hac Pericope ſibi viſi ſunt inveniſſe difficultates. Qvidam de conſtructione grammatica hic ſolliciti ſunt & multa diſputant; qvidam in qvolibet vocabulo diverſas inveniunt ſignificationes, ex qvibus diverſas eliciunt ſententias; Qvidam univerſam creationis hiſtoriam allegorice explicari debere contendunt, qvam interpretationis methodum qvanta non ſeqvatur diverſitas, nemo non videt. Qvidam hanc univerſam Periocham in duos tantum verſiculos, qvidam in tres diſpeſcunt, & qvi-

dem unus hoc, alter alio modo, qvæ omnia qvin diverſas pariant difficultates, fieri non poteſt. Unde magnus noſter *Lutherus*, qvi Judæorum tantummodo, Græcorum & Latinorum Patrum & Doctorum, qvi ante eum vixerunt, Commentarios in Geneſin habuit, de illis ita ſcribit *Comment. in Gen.* Cap. 1. v. 1. Wir haben keinen, dem wir in dieſen Auslegungen ſicherlich nachgehen und folgen kŏnten, darumb wollen wir einem jeden ſein judicium und gut dŭnken laſſen, und ſagen was davon unſere Meinung ſey. Et ſane pleræqve hujus & ſeqventis verſus interpretationes, aliqvo præjudicio aut ſingulari opinione laborare videntur.

§. V.

Celebriores autem, qvæ circa hanc materiam occurrunt ſententiæ, ne dicam exorbitantiæ, ſunt.

1) Eorum, qvi ita & tam graphice creationis opus deſcribunt, acſi oculati teſtes adfuiſſent, omnia ad cauſas naturales referendo, ut ſuam in rebus phyſicis oſtendant ſubtilitatem.

2) Temporis & conſeqventer creationis initium incidiſſe in horam 6. veſpert. d. 23. aut 26. Octobris; tum enim dicunt, Deum creaſſe perbreve qvoddam crepuſculum, qvod prima nox ſtatim ſubſecuta fuerit, ut eo facilius evincant noctis præ die prærogativam: qvaſi verba illa:

illa: *Vesper & mane una dies*, aliam non admittant explicationem, nec ullo alio modo salvari qveant.

3) Qvod hac eadem vespera sine ullo verbo creaverit Chaos qvoddam, qvod ipsi materiam primam vocant, ex aqva & luto constantem, ex qva demum omnia produxerit.

4) Huic materiæ lutulentæ, vel secundum alios tenuissimæ, spiritum Dei incubasse, & fructificandi vim statim indidisse volunt, anteqvam Deus ex ea qvicqvam produxit, vel verbo jussit, ut res existerent.

5) Qvidam, ut rebus creatis eo majorem adferant perfectionem, unumqvemqve creationis diem annum integrum faciunt. Nec

6) Desunt, qvi omnia uno momento creata esse, sexqve dierum commemorationem ad ordinem, non ad temporis intervalla discernenda, pertinere dicunt, & id genus plura, qvæ non vacat enumerare. Qvi autem plura talium cupit, apud ipsos Commentarios ea qværat, multa autem uno qvasi oculi ictu conspicere licet Tom I. Crit. Angl. *Luth.* Comment. in Genesin, ut & in *Calovii* Bibl. Illustr.

§. VI.

Sed ne tam fluxe procedamus, & suspicionem incurramus, qvod dissensiones interpretum plus nimio exaggeremus, distinctius paulo

agemus, & cum imposſibile ſit omnes omnium referre ſententias, ſummorum tamen Theologorum unius e qvavis cardinali Chriſtianorum ſecta ipſius Auctoris verbis exprimemus.

Pro *Lutheranis* itaqve Celeberr. *Abraham Calovium* producemus, qvi præterito Seculo in tricis & diſputationibus theologicis, ſaltim intra Germaniam, dictaturam qvandam aut geſſiſſe, aut affectaſſe videtur. Hujus in *Gen.* c. 1. 5. verba ſunt.

« Tres illi dies primi & extraordinarii « ante creatum ſolem facti, non ſunt per « emisſionem & confractionem radiorum, « qvæ Baſilii & Damaſceni videtur ſenten- « tia, ſed per motum luminoſi corporis « lucis primogeniæ, qvod ita circa rudem « molem motum fuit, ut acceſſu ſuo diem, « receſſu vero noctem induxerit, & 24 ho- « rarum ſpatio ad eundem terminum redié- « rit: unde primus dies naturalis factus, « tenebris per horas 12 durantibus ante « lucem conditam, qvæ prima nox fuit: « ubi vero lux a Deo crearetur, mane pri- « mum exortum fuit, & per reliqvas « Νυχθημερινῶ horas diffuſa luce ac mo- « tu, usqve dum abſoluto curſu tenebræ « redirent, dies prima conſtituta eſt. »

§. VII.

§. VII.

Ex *Pontificiorum* castris prodibit Vir doctissimus principem inter suæ Sectæ consortes tam in Theologicis qvam Chronologicis locum tenens, *D. Petavius*, in Ration. Temp. Lib. I. hunc in modum sententiam dicens.

"Mundum a Deo esse conditum, si non "divina persvaderet auctoritas, satis nos "ejus per se contemplatio doceret: hunc "etsi summus ille Artifex constantem par- "tibus suis & absolutum momento creare "potuit, paulatim tamen sex intervallo "dierum elaborare maluit. Qvocirca prin- "cipio rerum omnium nihil præter ter- "ram, terræqve circumfusam aqvæ im- "mensitatem exstitit. Aqvæ porro non "crassæ erant & concretæ, qvales modo "cernimus, sed tenues & vaporis instar "nebulæ totum hoc inane repleverant, "qvod supra terram elementorum cætero- "rum ac coelestium corporum vastitas oc- "cupavit: eas partim aqvarum vocabulo, "partim abyssi declarat Moses, qvas & "initio, nondum oborta luce, tenebris obsi- "tas fuisse dicit, & iis Dei incubuisse spi- "ritum; ex aqva terraqve velut materia "reliqva deinde formata sunt corpora, "qvæ in sex dierum opere percensentur. "Qvod autem Deum in principio coelum

« & terram creaſſe ait, ea generalis eſt « ſententia, qvæ id omne complectitur, « qvod ſex diebus perfectum eſt, qvod- « qve per partes deinceps exponitur. Pri- « mo die lucem procreavit Deus, qvam « aqva ſive tenuis & immenſus ille vapo- « rum tractus excepit, nondum ſole pro- « ducto, & ut diei noctisqve ſpatia defi- « niret, eandem lucem nebuloſi illius cor- « poris agitatione circumtulit. »

Et in ejusdem operis Part. II. Lib. II. « Prima « dies mundi in 26 Octobris incidiſſet, ſi « tunc in uſu forma hæc eſſet anni, qvo « die æqvinoctium, ſive medius in Libræ « cardinem ingreſſus contigit. »

§. VIII.

Pro *Reformatorum* Secta in hoc theatro appareat Vir in omni litterarum genere, præſertim vero Theologia, hiſtoria & Chronologia verſatisſimus, *Jacobus Uſſerius*, Epiſcopus Armachanus, qvi in Annal. V. T. ita ſuam profert ſententiam.

« In principio creavit Deus coelum & « terram Gen. I. qvod temporis principium « (juxta noſtram Chronologiam), incidit « in noctis illius initium, qvæ 23. diem « præcesſit, in Anno Periodi Jul. 710. « Primo igitur ſeculi die (Octob. 23. Fer. 1.) « cum

" cum ſupremo coelo creavit Deus ange-
" los, deinde ſummo operis faſtigio pri-
" mum perfecto, ad ima mundanæ hujus
" fabricæ fundamenta progreſſus mirandus
" artifex, infimum hunc globum, ex aqva
" & luto conflatum, conſtituit, concinenti-
" bus & collaudantibus cum ſimul omni-
" bus ipſius angelis Job. 38. 7. Cumqve
" terra eſſet inanis & vacua, & tenebræ
" eſſent in ſuperficie abysſi, in ipſo primi
" diei medio creata eſt lux, qvam a tene-
" bris diſtingvens, illam appellavit diem
" has noctem. „ Et in ſua *Chronologia ſacra.* " Ita veſpera primum mundi diem
" aperiente, usqve ad mediam noctem ini-
" tium præbentem, 25 qvidem d. Decem-
" bris, qvo Chriſtum natum ſupponimus,
" Annos Julianos 3999. menſes (*τριακον-
" τημήρης*) 2. dies 4. & horas 6. Kal. vero
" Januariis anni Per. Jul. 4714 (a qvibus
" vulgaris Æræ Chriſtianæ exordium de-
" ducimus) Annos 4003, menſes 2. dies
" 11. horas 6. decurriſſe colligimus. „

§. IX.

Qvantum ſi non a veritatis, certe a concordiæ tramite diſcedat hæc eruditorum triga, noſtro monito non opus eſt, juvat tamen aliqvalem inſtituere collationem hoc modo. *Calovius*

Calovius qvid intendat, non facile dixeris, nam cum primo valde verisimilem apprehendisset sententiam, qvod motus luminosi corporis lucis primogeniæ ita processerit circa rudem molem, ut accessu suo diem, recessu vero (ɔ: ulteriore progressu), noctem fecerit, & 24 horarum spatio ad primum revertendo punctum, diem naturalem effecerit. Mox qvasi ejus poenitens, innuit primam noctem 12 horarum exortam esse ante lucem conditam, sed ubi lux a Deo crearetur, primum mane exortum esse, & per reliqvas horas Nychthemerii diffusa luce ac motu, usqve dum absoluto cursu tenebræ redirent, diem primam constituisse: sed unde habuerit Vir doctisſimus, primam noctem 12 horarum exortam esse ante lucem conditam, nescio, nec qvid sibi velit, intellectu facile est, nisi dicatur, eum hac restrictione trivialem illam de creatione a vespera incepta sententiam stabilire, sed verisimiliorem illam, qvam antea amplexus fuisse videbatur, hypothesin revocare voluisse.

Petavius autem videtur, principium illud, de qvo Moses loqvitur, a primo die distingvere, ac innuere, Deum in principio non creavisse Chaos seu materiam confusam, sed omnium primum terram, seu molem qvandam terream, circumfusam aqvarum immensitate, qvæ tenues ac vaporis instar sed non tam crassæ fuerint ut hodie cernimus, qvæ Mosi nunc abyssi nunc

aqva-

aqvarum nomine veniant; sed post hoc principium, qvod in vesperam d. 25. Octob. incidisse autumat, dicit Deum prima vice lucem creavisse, qvam aqva seu tenuis & immensus ille vaporum tractus exceperit.

Usserius suam ita exprimit mentem, qvod principium inciderit in initium noctis illius, qvæ 23. Octobris diem præcessit, in qvo principio Deus creaverit supremum coelum & angelos, moxqve globum mundanum, ex aqva & luto constantem, tandem vero in primi diei medio lucem, & eam a tenebris distinxisse, hancqve diem, illas autem noctem appellasse. Tantum ab unanimi Mosis verborum explicatione abeunt viri doctissimi, ut ubi pedem figeres, omnino nescires, nisi ipsum adhuc Mosis scriptum exstaret: in eo autem concordant, qvod principium creationis mundi & temporis cum primæ noctis initio coeperit, 12 horis anteqvam Deus lucem creavit, qvod unus ad 23. alter vero ad 25. Octobris alligat, qvæ paradoxa statuere maluerunt eruditissimi viri, qvam antiqvum illud præjudicium deserere, qvod creatio a vespera inceperit.

§. X.

Alii autem aliter hæc *Mosis* verba: *in principio creavit Deus coelum & terram* &c. explicant (volunt enim, ea esse inscriptionem ac titulum

lum Libri, indicantem primam & præcipuam ſcriptionis materiam, eamqve & ejus modum in compendio exhibentem, qvæ eſt creatio totius univerſi), commode enim ita ſumi ac intelligi poſſe, acſi ſcripſiſſet: expoſiturus ſum in hoc Libro hiſtoriam creationis coeli & terræ, qvam Deus in principio peregit, qvam ſententiam ipſos Judæos confirmare dicunt, vocando hunc Librnm ſola vocula prima *Bereſchit*, cum totum titulum proferre graventur. Talia enim Compendia, præcipua Librorum argumenta indicantia, in eorum fronte ponere, & ipſi materiæ affigere, tam ſacris qvam profanis auctoribus uſitatum fuiſſe volunt, exempli loco producunt. *Proverbia Salomonis*, qvæ ita incipiunt. *Salomonis, Regis Iſraelis, filii Davidis, Proverbia.* Eccleſiaſt. *Filii Davidis, Regis Hieroſolymæ verba.* Eſaiam: *Viſio Eſaiæ filii Amos, quam vidit ſuper Judam & Jeruſalem in diebus Uziæ, Jotham & Ezechiæ, Regum Judæ.* Jeremiam: *Verba Jeremiæ Prophetæ, filii Hilchiæ, de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathot, in terra Benjamin &c.* Matthæi Evangelium: *Liber Genealogiæ Jeſu Chriſti.* & Apocalypſin Johannis: *Jeſu Chriſti Apocalypſis, quam Deus ei dedit, ut monſtraret ſervis ſuis, quæ mox fierent.* De qvibus omnibus notandum: qvod materiæ Libri affixæ ſint, & v. 1. aut plures efficiant. A Moſe hunc morem acceperunt Judæi, ab illis Græci, a Græcis Romani. Hinc magnus

nus ille *Homerus* ſuam *Odyſſeam* hoc modo inchoat.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε &c. ɔ: *Virum multi ingenii dic mihi Muſa, qvi valde multum vagatus eſt, ex quo Trojæ ſacram urbem evertit.*

Virgilius ſuam *Æneiden* ita orditur.
Arma Virumqve cano, Trojæ qvi primus ab oris
Italiam periit. *Ovidius Metamorphoſin* —
In nova fert animus mutatas dicere formas —
Corpora —

Silius Italicus.
Ordior arma, qvibus coelo ſe gloria tollit
Æneadum, potiturqve ferox Oenotria jura —
Carthago —

Lucanus — Bella per Æmathios, plusqvam civilia campos
— jusqve datum ſceleri canimus —

Qvæ hic adferuntur, non ut ſacris ſcriptoribus profani comparentur, ſed ad indicandum, hunc ſcribendi morem ſacris & profanis ſcriptoribus uſitatum fuiſſe.

§. XI.

Præmiſſo hoc Libri titulo & argumenti ſuccincta expoſitione, dicunt eum v. 2. docere, qvalis univerſi vultus ante creationem coeli & terræ fuerit, ſcil. qvod clara illa ac ſubtilis materia, qvam *coelum* vocamus, & qvicqvid ad eam

eam pertinet, ut & terra craſſa illa ac dura moles, fuerit mera inanitas & vacuitas, ſeu nigrum nihil, qvod hic immediate abyſſus vocetur, cum abyſſus non tantum molem aqvarum, ſed qvamvis profundam voraginem notet. Chaos enim gentilium & materiam primam Chriſtianorum, omnium rerum ſemina continentem, nullam agnoſcunt, cum Deus creaverit omnia ſimul, & uno tantum verbo, ex puro puto nihilo, non exiſtentia vocaverit ut exiſterent. Per incubationem ſpiritus Dei ſuper aqvas ſeu abyſſum, qvæ cum primo creationis momento coepit, & toties repetita eſt, qvoties Deus dixit, ut aliqvid fieret, cum nunqvam dicatur, qvod ſemel facta ſit, aut unum tantum momentum duraverit, intelligunt ipſam aqvarum & terræ creationem, qvæ revera ad ſecundi diei opus pertineat, ſed ſtatim in v. 2. per prolepſin anteqvam primo fieret, memoretur, ut oſtenderetur, ante hanc incubationem aut creationem totum univerſum, qvod poſtea exſtitit, prorſus nihil fuiſſe, id eſt, ſecundum ſcripturæ phraſin, ipſam inanitatem & vacuitatem, qvod haudqvaqvam de Abyſſo illo magno dici potuiſſet, ſi paucas aqvæ guttulas & manipulum pulveris continuiſſet, at multominus ſi immenſam aqvæ limoſæ copiam habuiſſet, nam ut primo per terram, ita hic per aqvam, univerſum globum terraqveum, qvi poſtea exſtitit, intelligi volunt, ut cap. 1. v. 1. cum c. 2. v. 4. concordet.

§. XII.

§. XII.

Coelum, terram, aqvam, abyssum, & incubationem spiritus Dei super aqvas, per Prolepsin non inelegantem in v. 1. & 2. nominari dicunt, licet nondum condita essent, nam eorum creatio suo loco & concinno ordine inter subseqventia Dei opera memoratur: coelorum *Gen.* 1, 6. 8. aqvarum v. 6. 7. 9. nihil enim obstare volunt, qvod ibi de earum creatione non expresse agatur, cum id antea per Prolepsin factum sit. De Abyssi, qvalis postea exstitit, & terræ creatione agatur v. 9. 10. Tales autem Prolepses Spiritui sancto & ejus amanuensibus non inusitatæ fuerunt. Cf. præter alios *Es.* 44. 28. & 45. 1. ubi ipse Deus loqvitur de Cyro, Rege Persarum, ut præterito & præsente, anteqvam natus fuit, imo ipsi *Mosi* & qvidem in hoc Libro sæpius usurpatæ; ut patet.

α) Ex *Gen.* 17. 19. 21. ubi Isaac nominatur, anteqvam genitus fuit. β) *Gen.* 15. 2. atqve alibi passim Abraham introducitur vocans Deum proprio suo nomine Jehovah, similiter Jacob & Joseph, ut & Abrahami famulus, imo impius ille Laban id Dei nomen usurpasse dicuntur; cum id eorum ætate nemini mortalium cognitum fuerit, nec ulli priusqvam Mosi *Ex.* 3. 14. Abrahamum autem, Isaacum & Jacobum id plane ignorasse, ipse Deus dixit hoc modo *Ex.* 6. 3. *& visus sum ab Abraham, Isaac &*

C *Jacob*

Jacob in Deo omnipotente (El ſchaddai) *aſt in nomine meo Jehovah, non ſum cognitus eis:* qvæ verba ſecundum litteram intelligunt, in his enim nec ullam allegoriam, nec ſingulare qvoddam myſterium agnoſcunt, cum ſenſus litteræ nullam inferat difficultatem; ſed qvo longius ab eo receſſeris, eo majores oriri dicunt difficultates, præſertim, qvamdiu contrarium defendentes, non meliorem adferant explicationem, qvam *Calovius* Bibl. Illuſtr. Tom. I. *Critic.* Angl. Tom. I. *Starkius* & alii ad h. l. habent, qvarum ſumma eo redit, qvod Deus dixerit, nec patribus ſe in ſuis operibus & forti brachio, nec in ſua bonitate & philanthropia notum fuiſſe, ut jam ſe oſtenſurus eſſet, qvæ explicatio non modo minus competens, & nimis dædalea eſſe, ſed etiam contradictionem involvere videtur; nonne enim ex totius mundi creatione, diluvio, excidio Sodomæ, diſperſione gentium, divina omnipotentia, & ex promisſione ſeminis benedicti, condonatione peccati Adamitici, diutina tolerantia antediluvianorum, gratioſa vocatione Abrahami, ut & cum eo, Iſaaco & Jacobo gratioſa converſatione, & repetitis multoties promisſionibus, ſumma Dei bonitas colluceſcit: tandemqve qvid de Noachi, Joſephi, & ipſius Moſis miraculoſa conſervatione dicendum erit? Nonne ex omnibus hiſce ad ſtuporem usqve fortiter & gratioſe factis experimentalis Dei notitia haberi potuit?

potuit? Nec melius rem conficiunt, qvi id ratione certi effectus intelligunt, seu liberationis Israëlitarum ex Ægypto, secundum qvam patribus nomen Jehova ignotum fuerit; qvibus adstipulatur Vir Clariss. *Joh. Franc. Buddæus* Hist. Eccl. V. T. Period. II. Sect. 1. §. 3. Haudqvaqvam itaqve tales hic bene qvadrant explicationes; multo satius est ingenue fateri, qvod ipsa res postulat, scil. Deum nomen suum Jehova Mosi omnium primo ad dumetum in terra Madian aperuisse, Mosen vero, in *Genesi* historicorum more Prolepsibus & Prosopopeiis utentem, non semper ipsa Auctorum verba, prout prolata fuerunt, adhibuisse, sed eorum animi sensa, sub qvorum persona loqvebatur, qvam exactissime exprimere, contentum, nomen Jehovæ, utpote Israelitis, cum hæc scriberet, notissimum, & summe venerandum, istorum orationibus inseruisse, licet & ipse Deus, & illi, aliis usi fuerint Dei nominibus, eorum tempore usitatis, ipsius Majestatem, & eorum submissionem æqve declarantibus; nam nunc mentem loqventis, nunc ipsa verba exprimere, optimorum auctorum, & ipsorum etiam Evangelistarum mos est, ut ex eo patet, qvod sæpius diversis verbis easdem Christi conciones referant, imo nec verba institutionis sacræ coenæ iisdem plane verbis exhibeant. Sic ipse Christus & Apostoli non semper iisdem verbis ac Prophetæ utuntur, cum eorum dicta adferunt, sed

ut tum eorum auditoribus nota & usitata fuerunt, qvod ut historicæ veritati nihil plane derogat, ita nec hæcce Mosis methodus ejus relationibus. γ) Taceo Prolepsin illam, qvam Paulus *Ebr.* 7. in *Gen.* 14. infert. Cum Moses eam expresse non habeat, aliaqve ejusdem farinæ, qvæ permulta in sacro codice occurrunt. Et simili modo hæc, de qvibus hic agimus, coelum nempe, terra, aqva, abyssus & incubatio spiritus, hic per Prolepsin enumerata esse possunt.

§. XIII.

Hæc sententia a communi ratione & methodo explicandi & applicandi *Gen.* 1. v. 1. & 2. recedit, ut hoc modo declinet scyllas & Carybdes, in qvas priores incidere videntur, unde conjecturis utitur, sed qvam probabilibus, cordati Lectoris est dispicere, scil. utrum v. 1. posit esse titulus & inscriptio Libri, an qvæ in v. 2. dicuntur per Prolepsin referri, ita se habere possint: conspicuum est, qvod hæc a communi interpretum opinione non leviter discedant, sed qvod ideo sint erronea & prave applicata, non seqvitur. Certe nec veritati historicæ a Mose compositæ expresse repugnant, nec analogiam fidei ullo modo lædunt, nec tandem ullam malam habent conseqventiam, unde illis hoc *Lutheri* effatum applicari non immerito potest. Wenn wir gleich daran fehlen, so

ist

ist das doch ohne Fahr. Hanc sententiam, qvod Deus immediate ex nihilo omnia creaverit, eo nihil infringi volunt.

1) Qvod Deus creavit hominem ex pulvere terræ, & mulierem e costa viri, cum id ut exceptio universalis regulæ, singulariter memoretur.

2) Nec qvod terra produxerit arbores, gramina & animalia, aqva pisces, & aër volatilia, cum omnia hæc verbo Dei in aqva, in terra & in aëre producta sint, postqvam spiritus Dei aqvis, id est postqvam primæ inanitati & vacuitati incubuerat, illiqve fructificandi vim indiderat.

3) Nec illud 2 *Petr.* 3. 5. *Terra quondam exstitit ex aqva, & per aqvam verbo Dei*, nam id exacte conveniat cum opere creationis tertii diei.

4) Nec tandem scitissimum illud Mosis Epiphonema, universæ creationis historiæ subjunctum, qvo illam qvodammodo explicat, & ab æqvivocationis suspicione vindicat, dicens *Gen.* 2. 4. *Istæ sunt generationes coeli & terræ, qvando creata sunt, in die illo, qvo fecit Deus coelum & terram.* Ubi

a) Vox *generationis* non in proprio sensu sumenda est, qvasi coelum ac terra ex materia qvadam aut semine præexistente paulatim adoleverint, sed metaphorice pro creatione cujuscunqve rei ex nihilo, uno momento facta,

 ut

ut ipse *Moses* hic id explicat, voce creationis mox adhibita. Nec

b) *Dies* hic nominatus non notat ullum creationis diem, multo minus primam illam vesperam, qva coelum & terram in materia prima generata esse fingunt, sed notat integrum illud sextiduum, qvo coelum & terra, id est omnia, qvæ existunt, creata fuerunt, qvæ diei notio SSræ usitatissima est.

c) Cum hicce locus prorsus sit paralelus cum *Gen.* 1. 1. ita ut hic indigitetur, qvomodo coelum & terra, ibi nominata, primo fuerint creata, manifestum est, ibidem non de ulla materia prima agi, sed de toto subseqvente creationis opere, ita ut prior locus agat de creatione perficienda, sed posterior de eadem perfecta: innuitur itaqve, *Mosen* dicere voluisse: hoc modo Deus in principio, id est integro sextiduo, coelum ac terram, sed qvamvis rem uno verbo & uno momento, e nihilo creavit, ut hocce dictum hanc sententiam magis firmare qvam evertere videatur.

§. XIV.

Qvid his ultra ex immenso fere, qvi ad manus est, sententiarum apparatu addamus, nescimus, cum una reliqvarum alteri palmam non præripiat, præter communissimam ac plurimis acceptam illam, qva statuitur, per *principium* illud,

illud, de qvo *Moses* hic loqvitur, intelligi debere primum temporis momentum, qvod a vespera inceperit, in qvo Deus angelos creavit, qvo facto cum coelum & terram creasse putant, non qvidem qvalia tandem exstiterunt, sed in materia prima ex aqva & luto consistente, & omnium rerum semina in se continente: hæc in abysso seu magna capedine fluitasse volunt, cui Spiritus sanctus columbæ instar incubuerit, & vim fructificantem indiderit: hanc materiam nigram fuisse, seu tenebras super eandem, id est superficiem & faciem aqvarum fuisse & abyssi, ex qvibus Deus lucem prodire jusserit, qvam vocaverit diem, tenebras autem illas primulas noctem, & hoc modo primum diem, ex vespere & mane constantem, factum esse censent: qvæ omnia satis qvidem sunt speciosa, nec SSræ verbis aperte refragantur, nisi qvod in illa de temporis a vespera inchoatione & materia prima altissimum est silentium; nam per *coelum, terram, aqvas, abyssum & tenebras*, qvæ *Moses Gen.* 1. nominat, non certum est, qvod materia illa prima, sine verbo creata, indigitetur, nec qvod nox naturalis per tenebras illi memoratas prorsus intelligi debeat, cum verba aliam æqve probabilem tolerent explicationem.

§. XV.

Hæc enim si accuratius examinentur, facile conspicitur, qvibus difficultatibus premantur. scil.

1) Qvod Coelum & Terram sine verbo creata statuunt, qvod perpendens B. noster *Lutherus*, qvo se vertat nescit, conjiciens tandem, ideo mentionem verbi hic omissam esse, ne qvis cogitet, ipsum verbum cum creaturis initium habuisse; qvæ explicatio qvanti sit ponderis, nemo non videt.

2) Qvod materiam primam loco gentilium Chaos supponit, qvod rudioribus cogitandi ansam subministravit, creationem duplicem fuisse, alteram rudem & crassam, alteram subtilem, politam & ornatam, ex prima materia factam, qvasi Deus, perinde ac alii artifices, opera sua polire & repolire opus habuerit, ut tandem ad perfectionem venirent; & si hæc materia necessaria fuit, ut ex illa reliqvæ res crearentur, certe ipsa etiam ex aliqva materia præexistente creata fuit; & illa iterum ex altera.

3) Si *coelum* & *terra* v. 1. nominata fuerunt materia illa prima, ex luto & aqva constans, omnia prorsus rerum creandarum semina in se continens, oporteret eam etiam continuisse semina animæ humanæ, & si qvi sunt alii spiritus, & invisibilia entia, unde seqveretur, aut aliqvid in hac materia prima spirituale & incor-

poreum

poreum vel subtilioris corporis fuisse, aut aliqvid materiale & corporale inesse his entibus, qvæ nos spiritus vocamus.

4) Qvod æternus ille lucis defectus & primulæ tenebræ aut fuerint prima nox naturalis, unde nox diem præcesserit, aut etiam qvod ipsum tempus & creatio a vespera inceperit, qvæ præjudicia a majoribus accepimus, non secus ac terram orbem esse fixamqve stare, solem vero circa eam moveri. Qvæ, etiam me tacente, ita comparata esse, ut ad SSræ & veritatis amussim non optime qvadrent, cuivis sine præjudiciis judicanti conspicuum fiet, si ipsius effata consulere velit, qvæ mox adferemus.

§. XVI.

Sunt autem scriptorum theopneustorum huc spectantia verba, qvæ seqvuntur.

Gen. 1: 3. *Dixit Dominus: fiat, & factum est.*
Ps. 33. 6. *Verbo Jehovæ coeli formati sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.*
— *v.* 9. *Dixit & factum est, jussit & constitit.*
Rom. 4. 17. *Vocat non existentia, ut existant.*
Joh. 1. 3. *Per verbum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* (sc. per Verbi personalis Verbum orale.)
Hebr. 11. 3. *Fide scimus, mundum compactum esse verbo Dei, ut qvæ videntur, facta sint*

ex illis, quæ non videntur. (ſcil. ex nihilo, non Chao aut alia materia.)

Hebr. 1. 3. *Portat omnia verbo ſapientiæ* (ſed ut portat omnia verbo, ita verbo omnia creavit.)

Qvò etiam ſpectant hæc *Syrachi* verba.

Syr. 18. 1. *Deus creavit omnia verbo ſimul* (id eſt qvamvis rem uno verbo & in inſtanti, ita ut aliorum fabrorum more eadem reformare & polire opus non habuerit.

Qvæ omnia unanimiter dicunt, SStam Trinitatem, Deum (Patrem) Verbum (Filium) & ſpiritum oris Dei (ɔ: tertiam Trinitatis perſonam Spiritum SStum) communi operatione ſolo verbo, & nihil ſine verbo, omnia ex nihilo, id eſt nulla præexiſtente materia, ſimul uno momento qvamvis rem creaſſe, eo ordine, qvo *Moſes* creationis hiſtoriam refert, *Gen*. 1. 3. usqve ad finem Capitis, ita ut inceperit a prima ſpiritus Dei incubatione ſuper aqvam, id eſt inanem illam, vacuam, & vaporoſam abyſſum, & lucis creatione, qvæ ſimul ac eodem momento facta eſſe videtur, qvam ex tenebris id eſt defectu luminis ſplendere eam juſſerit (2 *Cor*. 4. 6.), ſed in hominis creatione deſiverit, qvod ſex diebus egit, licet id uno momento & uno verbo perficere poſſet: de qvo legenda ſunt aurea *Lutheri* verba *Comment. in Geneſin* ad opus qvarti diei, qvorum concluſionem (cum tota pericope prolixior ſit) qvin hic adſcribam

non

non gravabor. Er macht es nach seinem Willen und Wohlgefallen, so lang, nicht kurtzer, nicht länger. Et tandem. Das sage ich alles darumb, daß man bey einfältigen Worten und Verstand bleibe, und nicht empor fare und hoch tichte. Wenn wir gleich daran fehlen, so ist das doch ohne Fahr.

§. XVII.

Diximus, per tenebras illas, qvarum *Moses* mentionem facit v. 8. non posse intelligi noctem naturalem, diei oppositam, cum nondum ulla nox aut ullus dies creatus esset, id enim refertur v. 5. post creationem lucis: sed notant hæ tenebræ, crassam qvandam nigredinem, & summum lucis defectum, qva superinducta & plena fuit magna & inanis illa vacuitas, qvæ etiam tali inanitatis statui propria esse, & qvæ eundem ab æterno, (si de æterno aliqvid balbutire licet) secuta fuisse videtur. Sed cum id momentum instaret, qvo Deo placuit creationis opus ordiri, jussit lucem non ex aqva, nec ex luto, qvo universum oppletum fuisse volunt, sed ex memoratis tenebris splendere (2 *Cor.* 4. 6.) qvod indicio est, nihil præter tenebras exstitisse, cum Deus lucem crearet, qvod *Moses* ita effert. *Fiat Lux; & exstitit lux*, id est ex antiqvis illis tenebris splenduit Lux, & hocce fuit primum temporis momentum, & simul initium diei primi,

primi; nam hoc loqvendi modo: *Fiat Lux, & facta eſt* [illegible] cui *Paulus* ſplendorem tribuit, non exp[illegible] videtur umbroſum & ſubfuſcum crepuſc[illegible] aut obſcurus veſper, ſed clara lux, qvæ t[illegible] uno loco ſplendere incipiens, forte n[illegible] ſtatim momento, ob ipſius tenuitatem [illegible]rcumſitas undeqvaqve tenebras denſiſſimas, latiſſime per totius primævæ illius tenebroſæ, & (ſi Diis placet) monadibus impletæ, vacuitatis aut abyſſi, hæmiſphærium, ſe diffundere potuit, qvod apprime convenit cum tempore matutino, circa lucis ortum, anteqvam ipſa a tenebris ſegregata clariſſime ſplendere incepit; nam qvo debilior eſt lux, & longius ſpatium ei penetrandum, eo tardius ejus radii id implent, eoqve obſcurior ipſa lux eſſe videtur; primævas autem tenebras ut craſſiſſimas, ita penetratu difficillimas, forte & vaporoſas fuiſſe, non vero diſſimile eſt. Exemplo ſit vel fovea qvædam ſubterranea, undiqve occluſa, in ea tandem tam craſſæ & vaporoſæ tenebræ exiſtunt, ut illatæ mediocris lucis ſplendor obſcurus fieri videatur, tardeqve & ſucceſſive tenebras penetret. Et licet nulla obſtet aëris craſſitudo, lucis tamen diffuſio per ingentem abyſſum aliqvod tempus exigit, ſed tenebris paulatim depulſis, lux omnia clare illuminat. Vel etiam lucidiſſimæ, ſed a nobis longiſſime diſſitæ ſtellæ lux, qvam oculus ſudo coelo percipit qvidem, ſed non tantum ſplendorem, ut ni-

grum ab albo discernere qveat, nisi propius accedat, qvod sacer scriptor etiam hac phrasi indigitare videtur, qvod Deus segregaverit lucem a tenebris, eiqve hoc modo splendenti & primæ inanitatis ac vacuitatis ha[illegible] superficiem illuminanti, diei nomen [illegible] separatas a luce tenebras, qvibus [illegible] certum revertendi tempus præscripsit, [illegible] vocaverit. Succesfive hæc facta fuisse, scriptura clare docet, ita ut prima lucis creatio tempori matutino, segregatio ab omni umbroso seu clarissimus splendor, meridiano, sed inditio nominum provecto diei non incommode adscribi possit, licet (si Deo ita placuisset) omnia simul facere potuisset cum ipsi sit nullum verbum impossibile.

§. XVIII.

Simplicissima itaqve, & ut intellectu facillima, ita revelationi divinæ congruens sententia hæc videtur esse, qvam, usqve dum certiora edocemur, amplecti non dubitamus, Philosophorum scita de Chao, materia prima, atomis & monadibus in medio relinqventes.

In principio, cum Deus crearet aut creare inciperet coelum & terram, omnia, qvæ jam sunt & videntur, imo & ipsa illa dura & crassa materia, qvæ jam a nobis calcatur & vocatur terra, fuerunt inanitas & vacuitas, id est niger,

vacuus

vacuus & inanis [illegible] abyſſus, qvæ *Moſi*, ut alicui rei eam asſim[illegible], aqvarum nomine etiam [illegible] [illegible] primo hoc temporis momento [illegible] [illegible]nitatem ferri, ac eidem [illegible] qve eodem prorſus temp[illegible] *Fiat lux, & facta eſt*, qvod [illegible] omnium mundanorum primum, [illegible] primæ creationis ullus usqvam [illegible]lus eſt locus; hic & non alibi id fieri [illegible]t, ita ut illa etiam hujus incubationis fructu[illegible]erit. Lucem autem, ex æternis & primogeniis luce tenebris ſplendere incipientem, Deus vidit bonam eſſe, & rebus creandis utilem fore, ideoqve eam a tenebris ſegregavit, & ita moveri juſſit, ut certo temporis, id eſt (noſtro concipiendi modo) 12 horarum ſpatio unum vacua inanitatis hæmiſphærium, & pari tempore alterum circumiret, ac ejus ſuperficiem illuminaret, qva per unum hæmiſphærium tranſeunte, ibi dies fuit, ſed ad alterum paulatim ſemper ſe movente, tenebræ pari paſſu ibi ſucceſſerunt, usqve dum ſpatio 24 horarum totam illam vacuitatis & inanitatis abyſſum circumierat, diemqve ac noctem effecerat, illis, qvi poſtea, creato tandem ſole & globo mundano, exſtiterunt, analogos, ſi non prorſus ſimiles, qvo pacto dies & nox ſimul eſſe coeperunt, ita tamen ut lux præceſſerit, qvæ primam diem effecit, tenebræ autem ſeu lucis abitus, occupando locum a luce relictum, primam noctem

noctem effecerunt; nox enim ſine antecedente luce nec a *Moſe* nominatur, nec capi poteſt, hoc autem modo ſeu huic analogo ex veſpera & mane, id eſt luce & tenebris, unam diem naturalem factam fuiſſe, putamus. Sed qvicqvid ſit, diem ante noctem & nominari & creatum fuiſſe, nemo negare poteſt. Ita enim jacent verba. *Fiat lux, & facta eſt lux, & vocavit lucem diem, & tenebras noctem.* Utrum autem ex hac phraſi: *Fuit veſper & mane dies unus*, nocti præ die aliqva prærogativa accedat, commodiori loco disqvirendum reſervamus.

SECTIO IIda.

§. XIX.

Abſoluta hac prima diſſertationis parte, qvæ conſiſtit in interpretum & commentatorum ſententiarum enumeratione, qvas de creationis hiſtoria, præſertim vero de diei & noctis ordine naturali evulgarunt, qvæ cum a Moſis verbis tantum recedant, nec probabiles, nec inter ſe ſociabiles videantur, aut ex illorum concordia vix ulla ſperanda ſit veritatis indagatio, eas miſſas facimus, & ad multo certiora argumenta, qvæ ſunt ipſius SSræ effata, nos conferimus. Secunda itaqve Tractatus noſtri Sectio in eo occupari

pari debet, ut ea conqvirat & producat dicta & loca biblica, qvæ diem nocti præponunt, qvorum tria statim in hoc primo *Geneseos* Capite se offerunt: nam

v. 5. dicitur. *Vocavit lumen diem & tenebras noctem.*

v. 14. ad *distinguendum inter diem & noctem.*

v. 16. ad *dirigendum diem & noctem.*

Ubi (ne qvid dissimulemus) scil. in v. 14. prærogativa, qvæ diei tribuitur, æqve probabiliter ad solem, utpote luna tanto potiorem, qvanto est dies nocte, referri debere, causari posse videtur, sed cum ea causatio nec in v. 16. ubi eadem verba in eodem sensu repetuntur, nec alibi, ubi occurrunt, locum habere posit, diem hic ut naturali ordine nocte priorem, præponi manifestum est.

§. XX.

Gen. 7. Ipse Deus prædicens Noæ magnum illud diluvium, diem nocti præfert dicens.

Post 7. *dies pluere faciam super terram* 40 *diebus &* 40 *noctibus.* Cujus exsecutio repetitur.

v. 12. *& pluit super terram* 40 *diebus &* 40 *noctibus.*

Qvæ casu aut sine certa causa, aut ad rem aliqvam habito respectu, ita a Deo prolata, & a *Mose* scriptore divino ita disposita esse, ordinemqve

nemqve naturæ, si nox revera die prior fuit, tam graviter inversum & violatum fuisse, nemo, ut putamus, sanæ mentis sibi persvadere poterit.

§. XXI.

His accedunt ipsius Dei verba consolatoria, & gratiosissimarum promissionum plena, ad erigendam tristem & afflictam Noachi mentem, summa cura, gravitate, accuratione & tenerrimo affectu profata.

Gen. 8: 22. *Quamdiu terra adhuc supererit, sementis & messis, frigus & calor, æstas & hyems, dies & nox non cessabunt.*

Hic ipse Deus qvatuor rerum paria enumerat, inter qvæ tantus & tam naturalis ordo est, qvanta naturalis relatio & oppositio, qvæ omnia sapientissimum Numen exacte observat, omniaqve naturali ordine profert; nam sementem præponit messi, frigus calori, qvod natura prius fuisse, cum hic a sole & igne proficiscatur, illud vero ab humiditate & caloris defectu, nemini dubium erit; Pari modo æstas hyemi præfertur, qvod mundus aut tempore verno creatus fuit, qvæ sententia haud paucos conspicuæ auctoritatis & magnæ eruditionis viros fautores habet; aut si sub autumnum, aut vergente æstate conditus fuit, certe in florentissimo & pulcherrimo, qvo adulta æstate esse solet, statu, qvod ex protoplastorum pomi esu sufficienter

probatur, adeo ut nuper conditus amænissimam æstatem repræsentaverit. Tandemqve dies nocti ut prior hemeronychtii pars præfertur. Et qvam indigna ipso Numine illa fuisset anomalia, si hæc inverso ordine & idiotice protulisset, imo ipsa consolatio Noacho parum conducibilis, qvi forte promissiones ex tam inordinata loqvela mensus fuisset.

§. XXII.

Hujus rei ultimum exemplum, qvod *Moses* in Libro Geneseos nobis suppeditat, exstat. Cap. 31. 40. Ubi Jacob Patriarcha dicit:

Interdiu calor me consumsit, frigus noctu.

Qvæ verba non alia egent interpretatione, qvam secum ferunt, scil. ut Jacob, ut fidus opilio, interdiu sub dio in calida regione agens & laborans, æstu consumtus fuerit, qvod non mirum, cum id ei cum pluribus commune fuerit, sed qvod noctu frigore consumtus est, id magis mirum, cum nox lege naturæ qvieti & refocillationi dicata sit, qvod ut insolitam & debito majorem fidem, hero suo præstitam, merito hic præponere potuisset, si non ab ordine naturæ in recensione temporum recedere, scrupulum ei movisset. Et qvid jam de ipso *Mose* dicendum, si vesperam mane sexies præposuit ea tantum intentione, ut vesperæ naturalem ordinem & prærogativam indicare vellet, sed in eodem

eodem Libro septies, imo in eodem capite aliqvoties, cum res postularet, ut ordo naturæ observaretur, ab eo recessit, nonne, si hæc vera essent, inconstantiæ & obscuritatis argui posset? qvod de tanto viro vel cogitare nefas esse putamus.

§. XXIII.

In reliqvis, qvæ reliqvit Moses, monumentis librariis, hæc loqvendi formula, qva dies nocti præfertur, decies occurrit.

α) *Exod.* 10. 13. Dicitur *ventus orientalis tota die & tota nocte* spirasse.

β) - - c. 25. 18. Dicitur Moses fuisse 40 *diebus & 40 noctibus* cum Deo in monte, qvod qvater repetitur in Libris Mosaicis.

γ) - - c. 40. 38. Dicitur *nubes interdiu, sed ignis noctu* incubasse tabernaculo.

δ) *Levit.* 8. 35. Legitur, Deum jussisse, Aaronem & ejus filios *continuis 7. diebus & 7 noctibus* in tabernaculo permanere.

ε) *Num.* 9. 21. & c. 11. 32. occurrit.

ζ) *Deut.* 9. 9. & c. 11. & forte sæpius, adeo ut, si omnia Mosis dicta numerare velis, ubi hæc loqvendi formula occurrit, decies septies iterata invenietur, cum contrarium ne semel qvidem occurrat.

§. XXIV.

Nec reliqvi Libri Hiſtorici V. T. hujus obſervationis expertes ſunt, in illis enim novies occurrit.

a) *Joſuæ* 1. 8. Joſva jubetur meditari legem Dei, *die & nocte*.

b) 1 *Sam.* 19. 24. De Saulo Rege ſaltante nudo *toto die & tota nocte*.

c) - - cap. 30. 12. de juvene Ægyptio, qvi *tribus diebus & tribus noctibus* nihil comederat.

d) 1 *Reg*. 8. 59. Rogat Salomon, oratio ſua ſit coram Domino *toto die & tota nocte*.

e) - - cap. 19. 8. ambulavit Elias 40 *diebus & 40 noctibus* usqve ad montem Horeb.

f) 1 *Chron*. 9. 33. Cantores in templo adfuerunt *die & nocte*.

g) 2 *Chron*. 6. 20. Ut oculi tui ſint ſuper domum hanc *die & noctu*.

h) *Nehem*. 1. 6. Rogat Nehemias, ut ſuam orationem audiat Dominus *die & noctu*.

i) *Eſther*. 4. 16. Judæi Suſis habitantes 3 *diebus & 3 noctibus* vetantur edere aut bibere.

k) Tandem etiam in *Apocryphis* adhibetur aliqvoties, ſed, ne qvid ſubtrahemus in utramqve partem.

§. XXV.

Nec multo minor seges in *Hagiographis*, seu illius sacræ litteraturæ parte, qvæ *Luc.* 24. 44. sub *Psalmorum* nomine venit. Nam

Job. 2, 13. Amici ejus dicuntur cum eo in terra consedisse 7. *diebus ac noctibus*.

David sæpe utitur hac Phrasi.

Ps. 1, 2. Beatum prædicat, qvi *die & nocte* acqviescit in lege Domini,

Ps. 22. 2. Deus mi! ad te clamo *die*, & non respondes, & *noctu* non possum qviescere,

Ps. 42. 4. Lacrymæ meæ sunt cibus meus *die & noctu*.

Ps. 55. 11. *Die & nocte* obambulavit in muris ejus.

Ps. 74. 16. *Dies tui sunt, & noctes etiam tuæ*, tu præparasti lucem & solem. Et tandem

Ps. 88. 1. Domine salus mea ad te clamo *die & nocte*.

Qvorum agmen claudit.

Eccl. 8. 16. Qvorum oculi *nec die nec nocte* somnum vident.

§. XXVI.

Nec omnino frustra hac de re inqviritur apud Prophetas: *Esaias* enim & *Jeremias* non raro hac loqvendi forma utuntur. Apud *Esaiam* occurrit.

Cap. 27. 3. Custodiam *die & nocte*, dicit Deus.
28. 19. *Dies nocti* præponitur.
34. 9. Fumus ejus non exstingvetur *die & nocte*.
60. 11. Portæ tuæ apertæ erunt *die & nocte*.

Jeremias etiam
Cap. 9. 1. dicit, se plorasse *die & nocte*.
16. 13. servietis diis alienis *die & nocte*.
33. 20. *dies nocti* bis præponitur, qvod v. 25. etiam repetitur.

Zach. 14. 7. Erit unus dies, qvem Deus noverit, qvi non erit *dies & nox*.
Amos 5, 8. Præponitur *dies nocti*.
Jonæ 2. 1. Fuit Jonas in Ventre Ceti 3 *diebus & 3 noctibus*.

Ex his clarum est, hunc loqvendi morem apud Prophetas duodecies inveniri, contrarium nunqvam.

§. XXVII.

Larga etiam hujus rei messis in N. T. reperitur, nam ejus scr.ptores hac phrasi persæpe utuntur, constanterqve eandem observant regulam, ut diem nocti præferant, solo excepto *Paulo* Apostolo, qvi aliqvoties ab ea discedit, sed ob singulares & graves (ut videtur) causas, qvorum mentionem suo loco faciemus.
Matt. 4. 2. Dicitur Christus jejunasse 40 *dies & 40 noctes*. *Matt.*

Matt. 12. Sicut Jonas fuit 3 *dies & 3 noctes* in ventre ceti, ita filius hominis erit 3 *diebus & 3 noctibus* in corde terræ.

Marc. 1. 10. Dicitur Christus jejunasse 40 *dies & 40 noctes.*

Luc. 18. 7. Dicuntur pii *die & nocte* Deum invocare.

Act. 9. 24. Dicuntur Judæi Paulum observasse *die & nocte.*

1 *Thess.* 2. 9. Dicit Paulus, se aliqvid operari *die & nocte.*

- - 3. 10. Se *die & nocte* pro auditoribus orare.

2 *Thess.* 3. Repetit, qvæ 1 *Thess.* 2. 9. scripserat de sua in laborando industria *die & nocte.*

Apoc. 4. 8. Dicuntur qvatuor illa animantia *die & nocte* clamare.

- - c. 7. 15. Dicuntur beati *die & nocte* servire.

- - c. 12. 10. Dicitur Satanas accusare pios *die & nocte.*

- - c. 14. 12. Condemnati ustulari *die & nocte.*

- - c. 20. 10. Diabolus & Pseudoprophetæ *die & nocte* in æternum cruciabuntur.

- - c. 21. 25. *Dies nocti* præponitur.

Hæc autem SSræ loca non ideo collegimus, qvasi ex mera diei & noctis vocularum dispositione aliqvid certi de earundem creationis ordine constitui posse credamus, sed ut ostenda-

 tur,

tur, qvo ordine facri fcriptores, a Spiritu Dei acti, fæpisfime eas enumeraverint, qvod inverfo naturali ordine eos feciffe, nobis perfvadere non poffumus.

§. XXVIII.

Præter hæc, in qvibus dies nocti expresfis verbis præponitur, occurrunt etiam alia loca, in qvibus nec dies nec nox fuo nomine veniunt, fed fub æqvipollentibus appellationibus, qvales funt Mane & Vefper, ubi fervato eodem ordine ac regula, ut qvæ diem notant femper præmittantur, excepto tantum *Gen.* 1. ubi *Vefper* præcedit, *mane* fubfeqvitur, ob rationes, paulo inferius, ubi hocce noftrum abfolvimus penfum, indicandas. Mane autem Vefperæ præponitur.

Gen. 49. 27. Benjamin prædabit ut lupus, *mane* comedet prædam, & *vefpere* dividet fpolium.

Ex. 18. 13. Populus ftetit coram Mofe a *mane* ad *vefperam*, qvod v. 14. totidem verbis repetitur.

Num. 28. 4. De facrificio jugi præmittitur *mane vefperi.*

Ef. 38. 13. Ubi Rex Ezechias tres diei partes hoc ordine recenfet: *A mane* ad meridiem, & inde *usque in noctem.*

Jer. 5. 24. Nec dixerunt in corde fuo: timeamus Dominum, qvi dat pluviam *mane & vefpere.* 1 *Paral.*

1 *Paral.* 16. 40. De sacrificio jugi *mane & vespere.*
2 *Paral.* 13. 11. *Mane & vespere.*
Esdr. 3. 3. Dicit Esdras, populum e captivitate reducem incepisse *mane & vespere* offerre sacrificium juge.
Job. 4. 20. Dicit, se a *mane ad vesperam* affligi,
Act. 28. 23. Prædicavit Paulus a *mane ad vesperam.*

§. XXIX.

Huc etiam facit, qvod SSra, tempus aliqvod determinans, id semper per dies, nunqvam per noctes exprimit, qvod nocti non levis videretur injuria, si ei, ut priori & potiori diei parti, jure creationis competeret prærogativa. Tot vero sunt loca illa, non modo apud unum Auctorem, sed fere omnes sacri Codicis scriptores, qvi diversis locis, diversisqve temporibus scripserunt, ipsiqve diversæ eruditionis & conditionis fuerunt, ut nulla conspiratio, & inconsiderata consvetudo locum habere possit, sed ex innata toti nationi persvasione de diei prærogativa profectum esse, videatur. Qvæ multitudo cum tanta sit, ut nostræ paginæ angustia eam non capiat, sufficiet nobis hac vice tantum qvædam ex Libro *Geneseos* afferre: sunt vero.

Gen. 7. 10. Factum est *die septimo* (non post 7 noctes.)

Gen. 7. 17. Pluit 40 *dies*.
- - - 24. Crevit aqva super terram 150 *dies*.
- - c. 8. 6. Post 20 *dies* emisit Noe corvum.
- - - - 10. Post 7 *dies* emisit columbam.
- - c. 21. 4. Et circumcidit Isaacum, cum esset 8 *dierum*.
- - c. 40. 13. & 19. Post *tres dies*.
- - c. 47. Jacob ætatem suam vocat *dies*.

Et qvid multis opus est. Plura sunt hæc exempla, qvam adferri possint, tam in V. qvam in N. T. cum contraria ne semel occurrant, cumqve contrariæ theseos defensores gentium exemplis, qvæ noctes numerant, probationis loco utantur, speramus, hæc eos a SSto profecta non rejecturos.

§. XXX.

Aliqvid etiam præsidii reperimus in SSræ loqvendi modis, acta & colloqvia nocturna enunciantibus, eaqve modo ad hesternum, modo crastinum aut hodiernum diem referentibus. Prioris generis est colloqvium Jacobi & Labanis *Gen.* 31. ubi v. 24. *Moses* dicit, Deum Labani in somniis apparuisse, *prima nocte*, qvam egit in monte Gilead, ipse autem Laban, seqventi die cum Jacobo colloqvens v. 29. dicit, Deum *heri* seu hesterna nocte sibi apparuisse. Cui & ipse Jacobus consentit, dicens v. 42. Deum *heri* aut hesterna nocte eum arguisse.

Ubi

Ubi hi omnes, *Moses* scribendo, sed Jacobus & Laban loqvendo, acta & colloqvia proximæ noctis, ut & ipsam noctem elapso seu hesterno diei tribuunt, qvod certe non fecissent, si noctem cujusvis diei priorem partem esse putassent, tunc enim *hodie* dixissent, sed non *heri;* qvod testimonio est, ipsos Patriarchas diem naturalem non a vespera sed a mane exorsos fuisse. Posterioris generis locutiones exstant.

1 *Sam.* 19. 11. Ubi Michol de noctu cum Davide loqvens dicit: Si non *hac nocte* liberest animam tuam, cras morieris; (qvod alias sonasse hodie morieris.) C. 28. Saul *nocte* ad Pythonissam Endoream venit. Cf. v. 20. 25. sed Samuel ille, qvi cum illo eadem nocte loqvebatur, dixit: *cras* mecum eris, qvod per *hodie* efferendum fuisset, si diem Judæi tempore Saulis & Davidis a vespera inchoassent, nam Saul eodem die cæsus est. Perinde *Act.* 23. 32. dicit Lucas, milites Paulum *de nocte* Antipatridem deduxisse, sed *altera die* ad Cæsaream usqve. & *Act.* 20. 7. dicit, Paulum multum *noctis* cum discipulis colloqvendo contraxisse, cum *altero die* abiturus esset. Huc etiam pertinent qvædam historiæ, acta diei alicujus referentes, & mox subjungentes, eadem nocte aliqvid factum esse, id est ejusdem diei nocte, qvalia sunt. *Judic.* 6. v. 25. 2 *Sam.* 7. 4. 2 *Chronic.* 1. v. 7. & plurima alia; in his enim nox ut posterior diei pars considerari videtur. Unde patet, antiqvos

Judæos

Judæos diem naturalem, cum nullum haberent ad Cæremonias Ecclesiasticas respectum, inchoasse aut a media nocte, aut (qvod verisimilius est) a prima aurora, noctemqve ideo non ad subseqventem sed ad præteritum diem pertinere putasse.

§. XXXI.

Simile qvid in scriptis Evangelistarum occurrit, nam *Matthæus* cap. 28. v. 1. expresse dicit: *Sero Sabbatorum*, lucente in unum sabbatum, venit &c. ꝫ: cum exiret prior septimana, & illucesceret prima dies septimanæ seqventis, qvod accurate convenit cum relatione *Marc.* 16. 1. *Luc.* 24. 1. *Joh.* 20. 1. Sive enim prius Sabbatum, qvod his verbis indigitatur: *Sero* autem *Sabbatorum*, respectum habet ad præcedentia festa Paschatos, scil. diem primum, qvi hoc anno in diem Veneris incidit, qvo Christus mortuus est, & diem secundum festi Paschatis, qvo primitiæ frumenti offerebantur, qvem Christus in sepulcro qviescens transegit; sive ad universam præteritam septimanam, nam hæ etiam in scriptura vocantur *Sabbata Levit.* 23. 15. *Luc.* 18. 11. nihil refert, nam sensus qvoad nostram thesin idem resultat. Sed illud: Lucens in unum sabbatum: est illucente prima die seqventis septimanæ, nam una dies commode significat primam diem. Cf. *Gen.* 1. 6. unde

ὀψὲ

ὄψε σαββάτων incidit in ultimum momentum noctis, ita ut seqvens & jam incipiens mane diversi diei initium esset, ut qvod reliqvi Evangelistæ vocant πρωὶ respectu seqventis diei, id Matthæus respectu diei hesterni vocat ὄψε. Nec juvat dicere, mulieres sero Sabbatorum seu vespera aut noctu ante diem solis exiisse, cum *Lucas* expresse dicat, eas eo die qvievisse, ut & seqventem noctem, sed valde mane diei solis sepulcrum adiisse, id est illucescente die, ut scribit *Matthæus*, qvi expresse adjungit noctem, diem solis præcedentem, diei saturni, & vocat noctis finem ὄψε, *sero*, vesperam aut finem præteriti Sabbati, sed primam auroram diei solis, initium seqventis diei: unde colligi potest, qvod tum temporis saltim qvidam inter Judæos diem ab aurora inchoaverint: idem facit *Lucas Act.* 23. de qvo §. XXX. egimus.

§. XXXII.

Nec de nihilo est, qvod dicit ipse Deus *Ex.* 12. 18. In primo mense die XIV. comedatis Azymos circa vesperam. Ubi Deus, primam Legem Cæremonialem Israelitis jam jam ex Ægypto profecturis proponens, & de initio festivitatum novum qvid edicturus, Israelitis antea noto & usitato more hac de re loqvitur, adnumerando diei XIV. mensis Nisan vesperam, eundem diem subseqventem; sed momentum

tum illud, qvo Azymos comedere coeperunt, fuit elapsa a solis occasu integra hora, cum tres stellæ in coelo conspicerentur; unde seqvitur, vesperam tunc temporis priori & elapso, non vero subseqventi diei naturali adnumeratam fuisse, & ideo vesperam non fuisse diei initium.

Pari modo hac de re loqvuntur *Evangelistæ* in N. T.

Matth. cap. 26. 17. dicens: *Primo die Azymorum* accesserunt discipuli Jesum, dicentes: ubi vis, ut præparemus Pascha.

Marc. 14. 12. *Primo Azymorum die*, cum mactaretur Pascha. Et codem modo: *Luc.* 22. 7.

Cum mactatio Paschatis fieret post horam 9. Judæorum, nostram 3. verisimile est, discipulos Jesum accessisse & hæc locutos fuisse paulo post meridiem, ne temporis angustia a debita legis observantia, & agni ac azymi præparatione excluderentur, qvod tempus vocatur non ab uno, sed a tribus Evangelistis *primus Azymorum* dies, licet Azymorum festum demum post horam 6. & cum ipso noctis initio inciperet; a qvo non multum abludunt verba *Johannis*, de alia re ita loqventis cap. 20. 19. *Cum vesper adesset illa die* (id est præteriti diei vespere, seu inchoata jam nocte), nam valde sero accidisse, circumstantiæ innuunt; vesperascebat enim, cum oppidum Emaus intrarent, ubi ad minimum unam horam, & alteram in regressu

con-

consumsisse videntur, ita ut hoc accideret circa horam 8. aut paulo posterius, & tamen hocce nocturnum tempus adscribitur elapso diei, qvod sine dubio ab Evangelistis factum, ut a communi gentis loqvendi modo non recederent, qvæ diem naturalem communiter aut cum Romanis, sub qvorum imperio jam vivebat, a media nocte, aut cum aliis qvibusdam orientis gentibus a mane inchoabat; nam scriptores sacros cum vulgo plerumqve locutos fuisse, in cujus gratiam præcipue scripserunt, ut a vulgo intelligerentur, nullus dubito, cum ejus rei exempla tot exstent, ut facile numerari non possint; unde & *Paulus*, qvi tamen præ aliis sacris scriptoribus non raro gravius philosophari videtur, gloriatur 1 *Cor.* 11. 1. se ad eos non venisse cum superbitate verborum, & in sapientia, id est non profunde philosophando, sed more vulgi loqvendo. & 1 *Cor.* 9. 22. Omnia se factum esse omnibus, ut qvosdam lucraretur.

§. XXXIII.

Claudat hoc agmen aureum salvatoris dictum. *Matt.* 12. 40. Sicut Jonas fuit 3. *diebus* & 3. *noctibus* in ventre ceti, sic oportet filium hominis esse 3. *diebus* & 3. *noctibus* in corde terræ.

Christus sepultus fuit circa solis occasum die Veneris, id est in ipso initio Sabbati, nam cum

cum jam vesper esset, Josephus ad Pilatum intrans petiit, ut sibi daretur corpus Christi *Marc.* 15. 42. Pilatus igitur primo accersivit Centurionem, sciscitaturus, num dudum mortuus esset: deinde Joseph emit lintea, & Nicodemus ungventa coëmit, & præparavit, tandemqve corpus Christi, a cruce sublatum, unxerunt & sepeliverunt, qvi actus tantum temporis reqvisivisse videntur, ut non priusqvam sub solis occasu absoluti fuerint, unde etiam *Luc.* 23. 24. sabbatum dicitur *incepisse*; primum itaqve Nychthemeron seu nox & dies, si more Judæis consveto sabbata inchoandi computaveris, est a vespera diei Veneris, ad vesperam diei Saturni: alterum autem Nychthemeron incipit a solis occasu diè saturni, & terminatur in hora 4, aut dimidia 5. antemerid. diè solis, 10. aut 10½ horas tantum continens, nam Christus sub auroram d. solis resurrexit: ex qvo tempore qvocunqve modo te vertis, qvamdiu hanc Judæorum methodum seqveris, nunqvam 3. dies & 3. noctes efficies, aut ad metam veritatis pervenies.

Accipienda itaqve omnino methodus Romanorum, diem a media nocte incipientium, & sic commode invenies tria hemeronychtia, si non integra, saltim synecdochica, qvod inter alia documento est, Judæos non omnes dies sed festivitates tantum a vespera inchoasse.

SECTIO IIItia.

§. XXXIV.

Productis hoc modo argumentis & locis biblicis, qvæ a parte diei prærogativæ stare videntur, ad ea nos convertimus, qvæ nocti primas in hac re tribuere putantur. Qvorum

Primum argumentum est hoc SSræ initium. *Gen.* 1, 1. 2. *In principio creavit Deus coelum & Terram & terra erat &c,*
Qvod ita explicant.

Cum Moses constanter asserat, diem unum, id est qvovis die naturali factam esse *vesperam & mane*, certum est, mundum initium habuisse a vespera, inqve illa vespera, qvæ est principium illud, de qvo *Moses* loqvitur, Deum creavisse coelum & terram, & circa eam immensitatem aqvarum, qvæ non crassæ sed tenues, & vaporis instar ac nebulæ totum hoc inane repleverant, qvod supra terram elementorum cæterorum ac coelestium corporum vastitas occupavit: has partim abyssi, partim aqvarum nomine *Mosen* insignire volunt, eamqve ab initio, nondum oborta luce, tenebris obsitam fuisse: Illis Dei spiritum incubasse, & ex eis tanqvam Chao omnia dein condita esse. Hæc circa vesperam & subseqvente nocte, qvæ ex eorum mente primam diem inchoabat, facta sunt; sed posteriore Nych-

 theme-

themerii parte, qvam nos diem appellamus, Deus lucem creavit, qvam aqva sive immensus ille vaporum tractus excepit.

Reliqva autem cum ad tenorem narrationis Mosaicæ persеqvantur, & applicent, non opus est ut hic recenseamus.

§. XXXV.

Alterum pro noctis prærogativa palmarium argumentum est effatum illud Mosaicum, in historia creationis ad qvemqve diem repetitum; & fuit *vespera & mane dies unus*. Legitur enim sexies *Gen.* 1. 5. 8. 13. 19. 23. 31. Qvæ verba nullo modo recte explicari posse putant, ni statuatur, primi diei initium fuisse vesperam, idqve Mosen illorum multiplici repetitione unice indicare voluisse. Duos primos versus ita explicant, ut hæc sententia aliqva veritatis superficie pallietur. Qvo etiam referenda est phrasis illa in Lege Cæremoniali *Levit.* 23. 32. occurrens. *A vespera ad vesperam*, ut & *Dan.* 8. 14. *Duo millia trecenti vesper & mane*. Qvæ omnia tam firma esse sibi persvadent, ut historia primi diei secundum ea sit explicanda.

§. XXXVI.

Tertium, qvod pro nocte pugnare dicunt, argumentum est institutio festorum Judaicorum.

1) *Pa-*

1) *Paſchatos Ex.* 12. 18. *Num.* 10. 3. Die XIV. menſis primi *inter duas veſperas*, eſt Paſcha coram Domino.

2) *Expiationis Levit.* 23. 32. Dies IX. menſis (ſc. ſeptimi) *a veſpera usqve ad veſperam* alterius diei vobis erit.

3) Reliqva Feſta & Sabbata a veſpera incipere debuiſſe dicunt, & in veſpera proximi diei deſinere, & hæc ideo ita ordinata eſſe, qvod primus dies a veſpera inceperit.

§. XXXVII.

Qvartum argumentum ducunt a locis ſcripturæ, qvæ noctem ante diem nominant, qvalia ſunt.

1) *Gen.* 1. ſexies repetitum. Fuit *veſper & mane dies unus.*

2) 1 *Reg.* 8. 29. ad exiſtendum oculos tuos apertos ſuper domum hanc *nocte & die.*

3) *Dan.* 8. 14. Usqve *ad veſperam mane* 2300. & juſtificabitur ſanctitas.

4) *Pſ.* 30. 6. *Veſpere, imo de noctu* eſt ploratus, ſed *mane* triumphus.

5) *Pſ.* 55. 18. *Veſpere, mane & meridie* imploro te.

6) *Act.* 20. 31. Ubi Paulus dicit, ſe nec *nocte nec die* hortari deſiiſſe Epheſiqs.

7) Cap. 26. 7. 12 tribus ſerviunt Deo *nocte & die.*

8) 2 *Thess.* 5. 5. Pia vidua se coram Deo *nocte & die* humiliat.

9) 2 *Tim.* 5. 3. Tui mentionem facio in orationibus meis *nocte & die*.

His freti argumentis, non dubitant affirmare, noctem fuisse diei initium, & creationis diem antecedere.

§. XXXVIII.

Licet multos habeat hæc sententia sectatores & fautores, haud pauca tamen & non parva habet dubia, nec firmitas argumentorum tanta est, ut rem extra controversiam ponat; nam qvod ad primum attinet argumentum, qvod §. XXXIV. expositum est, confidenter dici potest, qvicqvid de creatione mundanorum statuunt, ante ortum primi diei, frivolum esse, & præter auctoritatem SSræ asseri, ut supra §. XV. XVI. & sq. ad satietatem probatum est, qvo Lectorem remittimus.

Sed majoris momenti est objectio secunda, in his consistens verbis. *Fuit vesper & mane unus dies.* Cui nos respondemus; ea non ideo cuiqve diei creationis applicata esse, ut testentur & unice inculcent, tempus a vespera incepisse, & noctem die priorem fuisse; si enim *Moses* tantillæ rei causa hanc clausulam sexies in uno capite iterasset, sed multo pretiosiores omisisset, a vanitatis labe purus vix haberi posset.

Sed longe graviores virum eruditissimum, institutum qvippe in omni Ægyptiorum sapientia, & deinde longo rerum usu jam factum experientissimum, & deniqve a spiritu sancto actum, habuisse, consentaneum est ut cogitemus, qvarum, qvatenus nobis eas conjectura asseqvi datum est, qvædam minoris notæ (si ita dicere licet) fuisse videntur, & externum orationis ornatum spectasse, qvædam graviores ad ipsius materiæ sublimitatem, ejusqve debitam considerationem pertinere videntur.

§. XXXIX.

Prima non religionem ipsam, nec rei historiam, sed decentem scribendi & loqvendi modum attinet, nam v. 5. ubi hæc Periocha primo occurrit, ita sonat. *Et vocavit Deus lumen diem & tenebras noctem:* qvibus verbis sat clare *Moses* docuerat, duas tantum esse diei naturalis partes, diem scil. & noctem, vesperam enim & mane illis includit, sed diem ante noctem creatum fuisse, eiqve Deum hac partium enumeratione præ nocte prærogativam concessisse, aut eandem hoc ordine declarasse, clare docet; qvod ubi fecerat, superfluum visum est de tempore primi hemeronychtii plura scribere; hinc statim hujus diei historiam claudit eodem Epiphonemate, qvod reliqvorum dierum historiæ subjungere instituerat, dicendo: *Et fuit ex ve-*

ſpera & mane dies unus, qvod apophthegma qvinqvies deinde iterat, eundem ſemper ſervans verborum ordinem; & ſi maxime concederetur, *Moſen* nihil aliud in hoc 5. v. intendere, qvam qvatuor primi diei partium enumerationem, eo ipſo ordine, qvo a Deo creatæ fuerunt, qvid lucraretur pars contraria, niſi qvod Deus primo creaverit diem, deinde noctem, hinc veſperam, & tandem mane, hoc enim ordine partes illæ recenſentur; qvod licet abſurdum ſit, tamen noſtræ theſi, qvatenus diei præ nocte prærogativam dat, nihil plane adverſatur aut derogat. Si etiam poſtularetur, ut concederetur, *Moſen* omnino v. 5. qvatuor diei partes enumerare, nos id facere paratisſimi eſſemus, ſi modo nobis concederetur, diverſos hic eſſe ſenſus litteræ, litteralem & myſticum, qvorum omnes ſimul in uno dicto ſæpe eſſe, omnibus notum eſt; ſed qvid inde ſeqvitur, niſi qvod poſtulamus, & qvod *Moſes*, ut ſcriptor cordatus & peritus orator, easdem diei partes, diem ſcil. & noctem, qvas mox numeraverat in eodem commate, denuo nominare, ſuperfluum duxerit, ſed duas minores partes, *veſperam* & *mane*, arbitrario ordine adjecerit, nam ex his qvatuor partibus conſtat dies naturalis, die artificiali, veſpera, nocte, & mane: veſperam autem hic prius nominat qvam mane, qvod veſper, incepta enumeratione a Die, prior erat & propior, nam hoc ordine diem ſeqvitur veſper, illum nox, & noctem mane. §. XL.

§. XL.

Altera causa, qvæ auctorem impellere potuit, ut hoc apophthegmate uteretur, priori non est dissimilis; scil. si vel maxime & plane omnino transactum de eo esset, qvod in his verbis *vesper* & *mane* nullum lateret mysterium, nihilqve in illis qværendum esset præter communissimum & receptum illum sensum litteræ, observari tamen deberet, numne aliqva subesse causa posset, propter qvam *Moses* tali verborum ordine & dispositione uti tenebatur; ut *vesperam mane* præponeret, qvæ se statim offert, illa nempe, qvod fatentur Doctores Hebræi, morem esse SSræ, cum duas res commemorat, de qvibus mox pluribus agendum est, sæpius eam a secunda & propiore, qvæ ultimo loco ponebatur, in seqventibus orationem ordiri (Cf. Tom. I. *Crit. Angl.* pag. 7. edit. Francof. 1696.) Sic *Moses Gen.* 1. 1. primo nominat *coelum*, & deinde *terram*, qvia in v. 2. mox orsurus fuit ejus elementi descriptionem, qvod vocatur terra.

Cap. 10. 9. *Moses* ab enumeratione posterorum Japheti orditur, qvem v. 1. ultimum filiorum Noachi nominaverat.

v. 22. Aram ultimus filiorum Semi nominatur, sed ab eo orditur v. 23.

v. 23. Definit in Eber, & ab eo incipit v. 25.

Matth. 1. Primo nominat Davidem, & deinde Abrahamum, licet Davide prior fuerit, qvia

qvia prius de Abrahami posteris agere constituerat.

Sic & hic prius nominat vesperam qvam mane, qvia mox de matutino seqventis diei tempore agere constituerat. Poscebat etiam qvodam modo ordo & perspicuitas orationis, ut hic & in seqventibus prius poneret *vesperam* qvam *mane;* nam cum opus cujusvis diei perfectum fuit, vesper imminebat, qvod indicare volens, a vespere, qvo finitum fuit opus, temporis descriptionem orditur, & mane ei subnectit, cum a matutino seqventis diei opere orationem iterum incepturus esset, unde hæc clausula in descriptione septimi diei plane omittitur; Deus enim toto illo die nihil novum creavit; nec de mane seqventis diei *Mosi* qvicqvam loqvi ulla causa superfuit, secus enim sine dubio eam huic diei etiam adjecisset.

§. XLI.

Alii non ab omni verisimilitudine abludere volunt, *Mosen,* qvi gentem suam ardenter amavit, sed obstipas ejus cervices & corda dura ad inobedientiam prona probe novit, nullam ei ansam legem Cæremonialem de festorum & sabbatorum celebratione transgrediendi suppeditare voluisse, sed contra qvovis modo a transgressione deterrere, & obices ponere. Unde non plane improbabiliter conjicitur, qvod in historia creatio-

creationis vesperam mane sæpius prætulerit, qvod ab ea festivitates saltim Paschatos & Expiationis initia haberent. Vix enim credendum, tantum virum tantillam rem toties iterasse, in eum unice finem; ut omnes scirent, tempus nocturnum diurno antiqvius esse; cui ipse mox contradictum ire videtur, cum in eodem versu diem nocti, & lucem tenebris præferat, qvam scil. priorem illam parvulam immutationem vesperam mane præferendo, impune & illæsa veritate in re indifferente, non minus facere potuit, qvam *Paulus* *Gal.* 1. 1. & 2 *Cor.* 13. 7. qvi ibidem patri filium præponit, & ipse Christus Decalogi ordinem non semper servat. Qvantum autem stimulum innocens hæc techna scrupulosæ & elatæ Judæorum genti addiderit, judicare possunt, qvi Characterem nationis non ignorant.

§. XLII.

Tenerrimum hunc *Mosis* erga populares suos affectum, & piissimam intentionem, eos qvovis modo ab idololatria arcendi, & a legum divinarum transgressione revocandi, in consimilibus se ostendentem, plures agnoverunt, ex qvorum numero hac vice tantum producemus Celeberr. *Joh. Franc. Buddæum.* Hist. Eccl. V. T. Part. 1. sect. 1. p. 73. inter alia sic scribentem. "Nec spernenda eorum sententia,

 "qvi

„ qvi Mosen forte more gentis suæ locutum, „ apud qvam per festos dies haud leve temporis „ discrimen constituebatur, ut & apud nos. „ Conf. *Ecclesiast.* Cap. 43. 8. Interim obser„ vandum, syderum creationem a Mose comme„ morari, ut Israelitarum animos ab eorum cul„ tu revocaret. „ Si vero *Moses* in gratiam gentis suæ describens opus qvarti diei, nominavit dies festos, per qvos temporis discrimen constituebatur, ut hoc modo illis eorum observationem inculcaret; & si creationis solis ac lunæ eo etiam fine mentionem fecit, ut populum ab eorum adoratione abduceret; qvidni etiam vesperam mane præposuit, ut populum ad intentiorem legis de festorum, Paschatis scil. & Expiationis initio, observationem stimularet, ad qvorum analogiam reliqvorum initia constituta fuere.

Pari aut non dissimili modo, sed dissimili occasione divinus hicce vir, populum suæ curæ commissum, & proprii instar ocelli dilectum, de occupatione terræ Canaan, sibi a Deo promissæ, valde diffidentem, stimulasse videtur mentione maledictionis Canaan, ab avo Noacho ipsi prædictæ, aut imprecatæ, qvam, (sine dubio ante oculos habens, qvod in Pharan accidit & *Num.* 13. memoratur), tam graphice, emphatice, & verbis non modo penetrantissimis, sed etiam stylo poetico scripsit, ut Israelitæ ea sæpius in ore & oculis habere possent, eademqve coram suis, data qvavis occasione, decantan-

cantantes, se suosqve liberos ad fortiter agendum, in hujus terræ occupatione, & bene de successu sperandum, stimularent, cum hæc terra non tantum illis a Deo dudum promissa esset, sed etiam gens illa, qvæ eam jam teneret, gravissimæ maledictioni subjecta esset, ut Deus jam duplici jure huic eorum conatui adesse teneretur; bonum itaqve opus ipsos facere, & Deo gratissimum, si mascule & fortiter in hac divinæ voluntatis exsecutione sese gererent; qvales technæ & artificia non modo fuerunt insontes, sed etiam utiles, piæ & laudabiles, unde talibus tam ipse hic Dei vir, (Conf. præter multa alia *Ex.* 32. 20.) qvam alii sæpius usi sunt, qvod sine dubio dici potest tam importune qvam opportune instare, in tota Dei domo fidum esse, & nihil inexpertum relinqvere.

§. XLIII.

Non est, qvod qvis hic objiciat, frivolam esse sententiam, qvod hic ad Legem Cæremonialem respectus haberi posſit, cum illa data sit 2513. annis post creationem mundi, sed librum, continentem historiam creationis, antiqviorem esse reliqvis *Mosis* Libris, legem çæremonialem continentibus, qvi ab eo post exitum ex Ægypto exarati sunt, & legem de inchoatione Sabbati contineant, cum post & sub ipsum exitum hæ leges latæ fuerint; nam Liber secundus *Mosis*, qvi

qvi *Exodus* vocatur, sine dubio qvoad scriptionem, omnium qvos habemus antiqvissimus est, utpote primo post exitum anno scriptus, cujus historiam continet; nam mandatum de eo conscribendo exstat *Ex*, 17. 14. lex autem hæc de Paschatis festo a vespera inchoando primo data fuit Anno 2513. exstitqve *Ex*. 12. 6. Estqve sine dubio in litteras relata statim post exitum ex Ægypto; certe ante primum Pentecostes festum, cum ea exararet *Moses*, qvæ tum acciderunt, ut patet ex C. 24. Mox enim *Moses* res gestas, & ordine plerumqve, qvo fiebant, & scribenda erant, in diurna sua, qvalia sunt *Exodi*, *Levitici*, & *Numerorum Libri*, retulisse videtur; Deuteronomium autem duobus ultimis vitæ ejus mensibus concinnatum esse, manifestum est.

Geneseos Liber qvando sit conscriptus, incertum est; sed verisimile fit, eum fuisse Mosis παρεργον, qvod in deserto, forte in illis stationibus, in qvibus Israelitæ diu manserunt, non totum simul, sed horis succisivis elaboraverit: reliqvis enim libris, historia mansionis in Ægypto, & exitus inde facti, ut & longinqvæ in deserto oberrationis enumeratione ad umbilicum fere deductis, inconveniens visum est, ut de creatione mundi & generis humani, præsertim gentis Israeliticæ fatis, in qva Deus veram conservavit Ecclesiam, & ex qva Messias, dudum promissus, tandem esset nasciturus, a mundi pri-

primordio ad exitum usqve ex Ægypto nihil constaret; ideoqve hoc opus divino instinctu aut singulari mandato Mosen aggressum esse, dubio carere putamus. Qvod autem id in deserto scripserit, colligi potest

α) Ex nomine *Jehovah*, multoties in Genesi occurrente, qvod *Mosi* perinde ac aliis Patriarchis (Vide *Ex.* 6. 3.) ignotum fuit, usqve dum Deus id ei revelavit. *Ex.* 3. 14. paulo anteqvam ex terra Midian discederet. . . .

β) Ex Cap. 50. 10. 11. Ubi Auctor dicit, vicum seu dumetum *Atad* esse trans Jordanem, qvi locus in Judæa non procul ab urbe Hiericho situs fuit; unde patet, eum ad orientale Jordanis latus, id est in Arabia constitutum fuisse, cum hunc librum scriberet. Probe enim notandum est, nusqvam in SSra Judæam ad occidentale latus Jordanis sitam dici esse *trans*, & eam, qvæ ad orientale hujus fluvii latus jacet, esse *cis* Jordanem, nisi in Libris Mosis & Josvæ, cujus causa est, qvod viri illi, in finibus Arabiæ & Moabitarum constituti, aliter de hac re scribere & loqvi non potuerunt.

γ) Qvi autem *Mosen* in aula Pharaonis degentem, aulicis & politicis implicatum rebus, aut in terra Midian rebus oeconomicis & vitæ pastorali intentum, hunc Librum conscripsisse statuunt, verisimiles rationes adferre non possunt, qvibus suam firment sententiam. Conf. *Joh. Aug. Ernest.* Theol. Biblioth. Tom. III. p. 464.

p. 464. *Christoph. Starke* Præf. in Genesin & alios. Sed ex diverticulo in viam.

§. XLIV.

Sunt etiam, qvi nullum tropum nec ullum sensum mysticum in his verbis: *Fuit vesper & mane dies unus*, agnoscunt, sed secundum communem interpretum sententiam ea pro naturali mane & vespere accipiunt, pernegant tamen, hic illis significari, noctem die priorem fuisse, cum primæ tenebræ nulla naturalis nox fuerit, cujus initium aut longitudinem nemo sciverit, vesperam itaqve hic & alibi in SSra (Conf. *Jer.* 6. 4. *Prov.* 7. 9. *Jos.* 8. 9. & passim alibi, Vide §. sq.) finem diei significare, & pro toto die artificiali accipi, mane autem hic ut alibi non notare initium diei, sed finem noctis, qvod variis scripturæ dictis probare annituntur. Metonymice ideo hæc intelligenda esse, ita ut vesper ultima diei pars, pro toto die acceptus, nocti præponatur, & mane ultima noctis pars, pro tota nocte acceptum, diei postponatur. (Vide *Christoph. Starke* ad *Gen.* 1. 5.) Certe magnam veritatis speciem habet, vigiliam matutinam, id est (ni nimium fallor) ipsum mane, Judæos pro ultima noctis parte habuisse tempore *Mosis*, Vide *Ex.* 14. 24. perinde ac Samuelis ætate Conf. 1 *Sam.* 11, 11. ut & tempore N. T. Conf. *Matt.* 14. 25. *Marc.* 6. 48. sed clarissime

me omnium *Marc.* 1. 35. cujus verba sunt: *sed primo mane cum adhuc nox esset.* Licet hæc sententia nec probabilitate destituatur, nec analogiam fidei ullo modo lædat, tandemqve melius in illo, qvod diem nocti præponit, cum relatione Mosaica concordet, nobis tamen non in eo plane satisfacit, qvod in vocibus *mane* & *vesper* nihil singulare invenit, cum spiritum Stum tantas minutias, ut est diei præ nocte aut noctis præ die prærogativa, toties & tam operose inculcare voluisse, non credamus; aliqvod itaqve majoris momenti dogma hoc apophthegma multoties repetitum continere putamus, qvod qvale sit, mox aperiemus.

§. XLV.

Lucem hæc fænerari posse videntur ex nobilissimis Jacobi Patriarchæ & Mosis prophetiis ac benedictionibus tribui Benjaminiticæ impertitis, *Gen.* 49. 27. ubi Jacob dicit; Benjamin erit ut rapax lupus, qvi *mane prædam comedet, vespere vero spolia dividet: Moses* autem *Deut.* 33. 12. de hac tribu ita prophetatur. *Benjamin Deo amatus, apud eum tuto habitabit, ipse eum proteget toto die.* Qvæ loca sunt vere parallela, cum uterqve huic tribui promittat felicitatem qvandam, qvorum prior de temporali tantum fortuna & fortitudine loqvi videtur, qvod Benjamini posteros comparat lupo rapaci,

qvi

qvi ipſe prædam comedit, & ſpolia aliis dividit, id eſt naſcituros ex hac tribu viros fortes & bellicoſos, injuriarum impatientes, qvi jus ſuum, aut qvod habere ſibi videntur, vi & armis perſeqvuntur, & hoſtium ſpoliis ditantur, qvod impletum præcipue videtur tempore Ehudi, Saulis & Eſtheræ. Bellicoſos etiam fuiſſe Benjaminitas, patet ex *Judic.* 20. Taceo, qvod qvidam hanc prophetiam referant ad animoſitatem, vigorem & conſtantiam Pauli Apoſtoli, ex hac tribu oriundi. *Moſes* autem ſi non unice tantum, certe præcipue de felicitate ſpirituali loqvitur, vocans Benjamin Deo dilectum, apud qvem Deus habitaturus ſit, eumqve protecturus, qvo præſertim intendit ad templum Hieroſolymitanum, in confinio Benjamin & Judæ ſitum, in qvo Deus memoriam nominis ſui, id eſt verum ſuum cultum, inſtituerat, & ſi qvid ſapio, qvod de Paulo Apoſtolo loqvuntur hic potius locum habere videtur qvam in Prophetia Jacobi. Uterqve autem Jacob & Moſes in eo aperte conſentiunt, qvod hæc utraqve felicitas longinqva & conſtans futura ſit, qvod etiam evenit, nam tribus Benjamin unacum tribu Judæ ſub imperio familiæ Davidicæ permanſit, cum aliæ tribus alienum ſibi eligerent Regem, & cum eadem in vera religione perſtitit, cum reliqvæ tribus deficerent; & licet cum tribu Judæ captivitatem Babylonicam ſubiret, cum eadem tamen patriæ reſtituta eſt, diſperſisqve inter

omnes

omnes gentes reliqvis tribubus. (Vide *Aff.* 2.) hæ binæ Rempublicam Judæorum usqve ad destructionem templi secundi maxima ex parte constituerunt, qvam fortunæ constantiam Jacob per voces *mane & vesper* exprimit, *Moses* autem per *totam diem*, qvibus loqvendi modis, utrumqve longum, & non tam breve tempus, ut est unus dies aut *mane & vesper*, indigitare certum est, cumqve *Moses* idem illud tempus vocat *totum diem*, qvod Jacob *mane & vesper* vocaverat, manifestum est, neutrum noctes excludere. Qværitur itaqve, cuinam voculæ in Prophetia Jacobæa noctes adscribendæ sint; si responsum fuerit, qvod ad vocem *vesper* pertineat, habemus qvod volumus, scil. qvod nox diem seqvatur, qvod sine dubio Jacobus cogitasse videtur, cum mane vesperi præferret: sin vero nox voculæ *mane* includenda sit, inde resultat, qvod idem dici possit de vocula mane in hoc dicto *Gen.* 1. sexies repetita: *Vesper & mane una dies*, & tunc mane, ibi ultimam noctis partem efficiens, pro tota nocte accipiendum est, vesper autem, ut ultima diei pars, pro toto die ponitur. Alterutro horum modorum Jacobi verba explicanda esse, nemo non videt, qvi hunc elegerit, a Jacobo dissentire videtur, qvi vero illi assentietur, a communi interpretum placito recedit.

§. XLVI.

Palmarium vero noſtrum argumentum ſitum eſt in vocum, qvas hic uſurpat *Moſes*, nativa & genuina ſignificatione, & ipſius rei ſumma gravitate. Non ultima inter regulas hermeneuticas, qvas SSræ peritisſimi interpretes commendant, hæc eſt, ut nativus & etymologicus vocum hebraicarum ſignificatus probe obſervetur, & hunc, qvoad id ſalvo ſenſu & analogia fidei fieri poteſt, præprimis retinere jubent, haudqvaqvam ad remotiores & figuratas notiones perfugium permittentes, qvamdiu prima & propria vocis ſignificatio adhiberi poteſt; qvod nos hoc opere obſervaturos olim promiſimus. Atqvi teſte *R. D. Kimchi* in ſuis Radicibus Voc. Hebr. עֶרֶב deſcendit a verbo עָרַב confudit, miſcuit, ſed figurate & per metaphoram veſperaſcit, eo qvod, veſpere & tenebris ingruentibus, notiones confunduntur & obſcurantur, unde ſeqvitur עֶרֶב (Nom. ſubſt.) primario ſignificare confuſionem, ſecundario veſperam. Cui conſentit *Buxtorphius* in Lexic. Hebr. Chald. dicens, hoc verbum עָרַב ſignificare miſcere, obtenebrari, obſcurari, & nomen עֶרֶב mixturam, cujus varia adfert exempla. Idem *R. Kimchi* docet בֹּקֶר deduci à verbo בָּקַר, & ideo בֹּקֶר ſignificare mane, ſeu tempus matutinum, qvod tum formæ rerum ſe explanant, & cognoſcendas

das offerunt: *Mane enim,* inqvit, *inqviritur omnis res ad lucem Dei: cujus contrarium est vespera, sic dicta, quod tum res confunduntur, ut eas homo non possit cognoscere.* Conf. Tom. I. *Crit. Angl.* p. 10. Edit. *1696.* Nec multum ab hac sententia abcedit *Buxtorphius* l. c. dicens, verbum בָּקַר significare inqvisivit, qvæsivit, reqvisivit, sed nomen בֹּקֶר mane vel diluculum, a reqvirendo, item tempestive, opportune, ut ea qvæ mane fiunt; sed qvid luce opportunius, cujus ope res qværuntur, indagantur, discernuntur & cognoscuntur. Ex tali verborum significatione seu notione etymologica, fluit sensus realis, seu ad eorum sensum spectans explanatio, qvæ non tam ad temporis distinctionem aut ordinem, multominus noctis præ die prærogativam, qvam ad rem ipsam, id est creationem & ipsius modum spectat, qvod sane rhombus hujus rei est, & ipsius creationis historiæ verus nucleus, ita ut ad qvodvis diurnum creationis opus loco vesper & mane, qvod jam habemus, legi posset hæc divina exclamatio. Hoc modo ex obscura confusione, & opportuna seu luculenta discretione factus est ille dies, cum vesper hic confusionem, sed mane discretionem notare videatur, ut in sq. §. fusius explicatum dabimus.

§. XLVII.

Hinc ex hoc Epiphonemate historiæ primi diei, *& fuit vesper & mane dies unus*, talis fluit sensus. Ex confusione (id est tenebris, defectu luminis, crepusculo ac prima confusione & mixtura lucis & tenebrarum, de qvibus *Moses Gen.* 1. 3. 4. 5. locutus fuerat), & mane (id est clara luce) factus est unus dies, id est primus dies naturalis, noctis enim hic nulla singularis mentio fit, sed implicite saltim sub nomine diei, nec opus fuit, cum Deus noctu nihil creaverit, resqve ipsa loqvitur, noctem huic diei successisse, ut superfluum videretur id singulariter litteris mandare.

2) Qvantum hoc Epiphonema additum operi secundi diei attinet, sensus esse potest. *Et fuit vesper* (ɔ: ex prima confusione & mixtione aqvarum superiorum & inferiorum, qvæ hoc die ineunte adhuc exstitit), *& mane*, (id est earundem per conditum & constitutum firmamentum segregatione) secunda dies exstitit.

3) Primo mane tertii diei fuit vesper, seu confusio solidi & liqvidi, qvam Deus sustulit, deinde post creatam terram fuit confusio seminis arborum, herbarum, gemmarum, lapidum, metallorum, pulveris &c. sed sub exitum tertii diei omnis hæc confusio sublata est, ita ut ex *vespere* (confusione) *& mane* (opportuna segregatione) facta sit tertia dies,

4) Qvarta

4) Qvarta dies ex *vespera* (id est confusione luminum solis, lunæ, stellarum, qvæ adhuc in & cum prima luce indiscreta fuit) & *mane*, (id est creatione solis, lunæ, & stellarum, seu discretione & ordinatione lucis in certas classes & modificationes) exstitit.

5) Ineunte qvinta die, adhuc *vesper* fuit, (id est confusio seminis piscium in aqva, & volatilium in aëre super terram), sed facta horum animalium creatione, *mane* exstitit, (id est distinctæ ac pulcherrimæ creaturæ clare videbantur) & hoc modo ex *vespere* & *mane* exstitit qvinta dies.

6) Initio sexti diei adhuc *vesper* fuit, (id est confusio seminis omnium terrestrium animalium, & reptilium qvorumvis), sed mox jubente Deo factum est *mane*, cum terra varias eorundem species produceret, ita ut ex vespere & mane hic dies etiam hoc modo consisteret.

Unde patet, *Mosen* vere & proprie dicere potuisse, qvovis die primæ septimanæ primo talem vesperam, & deinde tale mane id est confusionem & discretionem exstitisse, & figurate loqvendo, diem qvasi ex iisdem factum fuisse, excepto saltim septimo die, qvi certe perinde ac reliqvi naturales hasce partes, sed nullam talem vesperam & mane habuerit, unde etiam hæc clausula in ejusdem descriptione omittitur; cujus omisionis alia probabilior causa qvam hæcce, qvod ei vesper atqve mane, qvalia *Moses*

reliqvis diebus tribuerat, haudqvaqvam convenit; & certe nulla prægnans causa exstitit, ut Moses toties & tam emphatice noctis præ die prærogativam toti generi humano inculcaret, & multo minus qvod primus dies naturalis ex die & nocte consisteret, cum id qvivis annus qvinqvies supra trecenties sexagies, mortales clare edoceat: unde hæc verba; *Fuit vesper & mane dies unus*, non tam ad partes hemeronychtii, qvam ad ipsa Dei opera, & modum creationis cuivis diei proprium, referenda esse, liqvido constare videtur.

§. XLVIII.

Mosen etiam de omnium rerum ortu & creatione scribentem, statim hoc loqvendi modo Judæis in memoriam revocare voluisse mundanorum instabilitatem, universi hujus interitum, & subseqventem beatissimam æternitatem, licet apodicticis argumentis probari non possit, valde est probabile; optime enim novit ex qvotidiana experientia, qvam non modo Judæi, sed etiam totum genus humanum, (in cujus gratiam hoc opus scripsit) dediti fuerunt deliciis mundanis, qvas unice sectabantur, qvibus per omnem æternitatem ut frui liceret, maxime optabant; & ut Propheta fuit, imo omnium Prophetarum maximus, *Deut.* 34. 10. ita probe prævidit, hunc populum in terram promissionis, qvæ lacte & melle

& melle, id est omnigenis temporalibus deliciis abundabat, introductum, hisce præsentibus tam firmiter & mordicus adhæsurum & amaturum fore, ut felicissimam æternitatem & ineffabilem coelestis curiæ felicitatem ac delicias parum foret curaturus, sed fallacissima hac cogitandi methodo inductus ac deceptus, primo optaturus & deinde forte crediturus, qvod hæc æterna & nunqvam interitura manerent. Hancce persvasionem & falsam opinionem ut non modo illis, sed & omnibus, hunc suum Librum de admirabili omnium rerum origine, & ex nihilo per Dei omnipotentiam creatione, legentibus demeret, & penitus eradicaret, unicuiqve admirando Dei operi hanc addit clausulam: *Et fuit vesper & mane illa dies*, haudqvaqvam in eum finem, ut indicaret toti generi humano, noctem naturalem die priorem fuisse, sed multo altiora & cogitatu magis necessaria, digito qvasi monstrans, scil. omnia hæc in se & per se amænissima & utilissima, ex nihilo facta, & ex summa confusione in formam & pulcherrima corpora transmutata, non fore æterna, sed adfuturam iterum vesperam, confusionem, & omnium interitum, oriturum autem aliud lætius & æternum mane, qvod nullam habiturum esset vesperam, scil. æternum illud Sabbatum, de qvo nullo modo dici posset: Fuit aut erit mane & vespera illa dies, unde etiam *Moses* hæc verba de primo sabbato scribens, omisit, cum sabbatum sit felicissimæ æternitatis typus. Hæc

Hæc si cuiqvam primo aspectu duriora aut longius petita esse videbuntur, observet qvæso ille.

1) Rei sive materiæ pretiosissimam nobilitatem.

2) Verborum ad cujusvis creationis diei opus toties factam emphaticam repetitionem.

3) *Mosis* talis tantiqve viri genium, & a spiritu Dei inflammatum pectus, qvod in minutiis multoties repetendis morari non solebat.

4) Orientalium morem, qvi brevi ac eleganti apophthegmate multa & gravia includere solebant.

Qvod qvi fecerit, nobis certe dabit, aliqvid plus qvam noctis præ die prærogativam his verbis notari.

§. XLIX.

Id etiam hic tangere non abs re nostra erit, qvod inter præsentis seculi eruditissimos, & lingvarum orientalium peritissimos viros, dantur Critici qvidam exercitatissimi, qvi prima hujus Libri capita poetica esse censent, & qvidam horum ea non primo a *Mose*, sed ab alio qvodam prophetico viro, qvi proxime creationem vixit, (uno aut pluribus), cum in finem composita esse putant, ut in publicis conventibus a viris piis in laudem Dei decantarentur, qvorum Theopneustian *Moses* agnoscens, divino instin-

ctu

ctu pro genuina creationis historia in *Genesin* contulerit, qvod nos nec negare nec affirmare sustinentes, suo in loco relinqvimus, id saltim affirmare audemus, qvod si vel maxime vera esset hæc conjectura, nihil tamen divinæ hujus Libri auctoritati, nihilqve ejus infallibili veritati detrahi. Nec *Moses* ideo minus dici potest auctor libri primarius, id est qvi primus historiam creationis & rerum, in mundo ab ejus origine ad mortem Josephi gestarum, modum & ordinem, primus litteris mandavit & posteris tradidit, licet odas qvasdam a viris theopneustis pactas eidem inseruerit, qvam alii auctores, qvi idem fecerunt, ex. gr. *Matthæus*, qvi prolixam illam Christi concionem Cap. 5. 6. 7. & *Johannes*, qvi aliam Cap. 14. 15. 16. 17. suæ historiæ inseruerunt, ut & *Lucas*, qvi Cantica Zachariæ, Mariæ, Simeonis & Annæ exscripsit, aliiqve plures. In id autem plurimi eruditorum consentiunt, qvod prima *Geneseos* Capita poetica sint, *Mosen*qve nihilo minus primarium agnoscunt auctorem; qvod si ita est, verisimillimum videtur, hæc verba; *Fuit vesper & mane una dies*, unicuiqve creationis operi subjuncta, loco versus intercalaris, seu exclamationis doxologicæ apposita esse, qva auctor modum creationis devotissime admirabundus veneratur, qvasi dicere vellet. O! tantulæ molis fuit Deo ex inanitate & summa confusione has discretissimas & pulcherrimas res producere;

F 5 qvam

qvam venuſtatem & artificium poetis hodie non inuſitatam eſſe, nec olim fuiſſe, nemo neſcit; qvod apprime cum priori explicatione convenit, eamqve confirmat.

§. L.

Omnes hæ, qvas *Moſi* tribuimus rationes & cauſæ, propter qvas hoc Epiphonema; *Fuit veſper & mane una dies*, toties uſurpaſſe putamus, licet diverſæ ſint, & diſparis pretii, ad eundem tamen ſcopum collineare, eundemqve licet diſparem gradu, facere fructum, ideoqve etiam inter ſe facile conciliari, & in uno ſubjecto convenire poſſunt, qvod ne ipſa theſis, & hæc noſtra commentatio, abſurditatis accuſari qveat, hoc modo probatum imus. Divinus ille ſcriptor, cum primum deſtinatum ei eſſet validum & pretioſum qvoddam apophthegma unicuiqve creationis operi ſubjungere, nihil ad id aptius qvam hoc invenire potuit, ideoqve prima vice *Gen.* 1. 5. illud adhibens, ſic compoſuit, ſicqve ordinavit, ut ab inutili & tædioſa antenominatarum partium hemoronychtii repetitione abſtinere poſſet, ſimulqve ut idem apophthegma, non neglecta grammaticali inter Judæos valente regula, ut a poſteriore & propiore iterum inchoaret, deinde conſtanter uti poſſet, idqve ita ut externus verborum ſonus ſeu ſenſus litteræ rudiores de mandatis Dei,

præ-

præsertim vero de sabbati sanctificatione & debita observantia admoneret; sensus vero litteralis & mysticus creatoris immensam sapientiam, potentiam, bonitatem, æternitatem, & reliqva ejus attributa, qvæ ex admirando hocce creationis opere & ejus modo cognosci aut cogitari possunt, illis in memoriam jugiter revocaret; tandem etiam id, ut, qvemadmodum hæc omnia pulcherrima & utilissima Dei opera ex nihilo & summa confusione uno Dei verbo facta & producta sunt, ita eadem olim, & post multa secula uno Dei nutu peritura forent, qvapropter illis qvidem licite utendum esset, & Deo pro illis gratiæ solvendæ, sed nihil creatorum nimium amandum, nec cor illis affigendum esset. Hæc author cum scriberet, & Judæi scrupulosissima gens, qvæ nodos in qvovis scirpo, & mysteria in qvovis scripturæ verbo inveniebat, *Mosis* verba audiens aut legens, facile potuit cogitare; auctor enim & hæc & alia in hoc Libro obvia, docte, ornate, pie & prudenter non modo ut bonus historicus & theologus, sed etiam ut exercitatus politicus, populum enixe amans, scripsit, ipsiqve assidue ruminanda proposuit.

§. LI.

Aureolo huic *Mosis* dicto verborum sono & externa specie simillimum, sed sensu plane dissi-

dissimile, a latere collocare placet, gravissimum angeli effatum *Dan.* 8. 14. magnum enim in eo sibi spondent præsidium noctis prærogativæ patroni, cum angelus coelestis, imo ipse Gabriel testatum dederit, noctem die priorem, idqve non semel sed bis repetitis iisdem verbis sic sonantibus: *Usqve ad vesperam mane* 2300 *&* *justificabitur sanctitas*, qvæ qvantum ad *vesperam mane* v. 25. iterantur, qvod indicio sit, non fortuito accidisse, aut verba ex communi usu desumta esse, sed data opera ita disposita esse, & hic adhibita (ex eorum mente) ad indicandam noctis præ die prærogativam. Ad qvæ responderi potest.

1) Qvæstio fuit: qvamdiu hæc visio durabit, scil. de sacrificiis intermittendis, & de prævaricatione desolante, ut tam sanctitas qvam exercitus dedantur, & conculcentur: qvæ duas habet propositiones, unam de sanctitatis profanatione, alteram de exercitus cæde, seu tribulatione ac clade reipublicæ; jam vero angelo res fuit cum Daniele, viro Dei amantissimo, ut ab angelo plus simplici vice vocatur *Dan.* 10. cui nihil prius, nihil antiqvius fuit qvam veræ religionis & cultus divini conservatio.

Ideo primum ad prius qvæstionis membrum, qvod de religione agebat, paucis tantum, sed subobscuris verbis respondet hoc modo. 2300 *vesperi mane & justificabitur sanctitas*, id est verus Dei cultus, & sacrificia restituentur, licet ipsa

ipſa tribulatio non ſtatim deſinat; cumqve Daniel uberiorem totius viſionis explicationem deſideraret v. 15. angelus eam dat in ſeqv. usqve ad v. 26. in qvo priora verba *veſper & mane* repetit: unde manifeſtum eſt, hæc verba unice de ſacrificiorum reſtauratione agere, & ad eam tantummodo reſtringenda eſſe.

2) Angelus, tantum de ſacrificii reſtauratione ſermocinans, utitur ſtylo ſacro ſeu biblico, in hanc rem optime & unice qvadrante, tam reſpectu ipſius rei ſeu ſacrorum, qvam temporis & ordinis, qvo hæc res ſeu earum ceſſatio & reſtitutio fiebat; unde hæc phraſis *veſperi mane* hic horum reſpectu data opera & tam apte uſurpatur, ut unice hac de cauſa adhibita eſſe videri qveat.

3) Licet Propheta non expreſſe dicat, qva hora hæc viſio ſibi contigerit, veriſimile tamen eſt, id factum eſſe circa aut inſtante ſacrificio veſpertino, nam non inſolens fuit, tales viſiones circa id tempus fieri (Conf. *Dan.* 9. 21.) ut fieri poſſit, qvod angelus etiam a tempore præſenti, qvo hæc loqvebatur, occaſionem ſumſerit vocandi cæremonias in templo perficiendas *veſperi mane*, & ſic etiam hoc reſpectu *veſperam mane* prætuliſſe; ſed conjectura eſt, qva hic non opus eſt, cum certiora adſint argumenta. Nam

4) Angeli unicus ſcopus fuit Danielem (ut ſupra innuimus) informare de profanatione ſanctuarii, & ceſſatione ſacrificii, qvam innuit a

veſpera

vespera initium habituram, qvod etiam evenit; tam die 15 mensis Chasleu, qvam alias, non noctu nec clanculum, sed splendente sole (omnia enim vi in contemptum religionis Judaicæ gerebantur), ideoqve circa meridiem inter sacrificia matutinum & vespertinum, pollutio sanctitatis ut & abominationis in ipso altari collocata fuit 1 *Maccab.* 1. 57. ut vespere sacrificium primo cessasse videatur, unde etiam hic concinno ordine prout res gesta fuit, vesper mane præfertur.

§. LII.

Horum pleraqve conjecturæ sunt, & ideo nihil perfecte evincunt, licet sint valde probabiles, sed lucem multo clariorem foenerabitur hæc materia ex tractatione qvæstionum.

α) De qvanam potissimum re & persona hic agatur.

β) An usqvam alibi in SSra talis loqvendi modus occurrat, ubi similis materia tractatur, &

γ) Qvid tandem hic per *mane* & *vesper* intelligi debeat, ut eventus prædictioni respondeat.

Qvod primam attinet qvæstionem, manifestum est, hic tractari de Antiocho Epiphane, & ab eo facta persecutione, & templi Hierosolymitani pollutione; nam ipse angelus expresse dicit v. 20. per arietem & ejus duo cornua intelligendum esse Regem Persarum, & Medorum, id

id eſt Monarchiam Medo-Perſicam, qvæ ſub Dario Codomanno finem habuit, Anno Mundi 3674. per Capricornum autem, unum ingens habentem cornu, qvo arietem penitus comminuit, intelligendum eſt imperium Macedonicum; per Regem Græcorum, qvi v. 21. nominatur, Alexander Magnus, qvo poſt duodecenne regimen mortuo, fractum eſt magnum ejus cornu v. 8. ſed enata ſunt 4. minora cornua, Regnum ſcil. Ægyptiacum Ptolomæi, Syriacum Seleuci, Aſiaticum Lyſimachi, & Macedonicum Caſſandri, qvæ deſcribere, angelus in ſua explicatione omittit; ſed v. 23. ſermonem vertit ad ſyriacum, & præcipue ad Regem magnum illum & doloſum, de qvo antea dixerat v. 9. qvod impetum facturus ſit contra auſtrum, id eſt Ægyptum, contra Eoum ſeu Orientem, id eſt Aſiam ſuperiorem, & contra terram ſanctam, id eſt Judæam, qvi ſe contra coeleſtis exercitus principem extollet, qvasdam ſtellas in terram dijiciet, easqve conculcabit, id eſt multos Judæorum principes occiſurus ſit, tandemqve ſacrificium juge abolebit, ipſe deniqve ſine manibus v. 25. diffringendus, id eſt ſine externa vi, ſed angoribus conſcientiæ peribit; cui omnino parallelum eſt & perfecte conſentiens, qvod Cap. 11. a v. 19. ad v. 29. legitur, qvæ omnia exactisſime in Antiochum Epiphanem qvadrant, & ideo etiam ad eum referuntur, & de eo explicantur 1 *Macc.* 1. ubi illa ipſo actu perfeciſſe me-

memoratur, qvæ *Dan.* Cap. 11. eum facturum fore prædixerat; maxime autem notandus est v. 31. de abominatione desolationis ita sonans; „ & polluent sanctuarium fortitudinis, & aufe- „ rent juge sacrificium, & dabunt abominationem „ in desolationem desolationis: „ ita ut hunc Antiochum & ab eo perpetratam sanctuarii Hierosolymitani pollutionem hoc loco indigitari, nullum sit dubium, qvicqvid qvidam recentiores interpretes opponunt, cui sententiæ nihil obstat

α) Monitum angeli v.26. qvod post longum tempus hæc visio implenda sit, nam a tempore, qvo eadem Daniel prædixit, ad ejus eventum effluxerunt anni 350.

β) Nec ipsius Danielis prophetia de desolationis abominatione *Dan.* 9. 22. in medio ultimæ septimanæ apparitura, qvæ ab hac plane diversa fuit, & nihil ad hanc pertinet.

γ) Tandem nec ipsius Christi verba *Matt.* 24. v. 15. de abominatione desolationis per Danielem prædicta loqventis, alludit enim ad Cap. 9. 27. non vero ad Cap. 8. 14. nec Cap. 11. 29.

δ) Non tamen plane abnuero, Antiochum hunc & ab eo factam abominationem desolationis fuisse typum cujusdam filii perditionis tempore N. T. demum revelandi, & horrendæ persecutionis & abominationis Ecclesiam magnopere desolaturæ.

§. LIII.

§. LIII.

Ad secundam qvæstionem: an usqvam alibi in SSra occurrat hic loqvendi modus, *vesper mane*, pro tot diebus naturalibus necessario explicandus, qvod tuto negari posse putamus, sexies qvidem *Gen.* 1. verba repetita occurrunt, sed alium plane sensum habentia, qvam hic in illa cadere potest, ut supra satis prolixe probare annixi sumus, semper & ubiqve in SSra, qvando Deo Prophetis aut famulis suis aliqvid futurum revelare placuit, certum etiam ut plurimum, sed diversimode prophetiæ comminationis aut promissionis tempus determinare voluit.

1) Consveto tempora computandi modo nominando tot dies, annos, aut tot secula, ex. gr. proposuit Ninivitis 40 dies, intra qvorum finem aut agerent poenitentiam aut perderentur *Jon.* 3. 4. Ægyptiacæ servituti constituit Annos 400. *Gen.* 15. 13. Saræ filium anno vertente promisit, *Gen.* 18. 14. Captivitati Babylonicæ constituit annos 70.

2) Tempus per septimanas & dies mysticos determinando, ut *Ez.* 4. 5. nominantur 390 dies, tot annos significantes, & v. 6. 40. dies, itidem tot annos denotantes. *Dan.* 9. 24. 25. 26. tempus Christi adventus in carne per numerum septimanarum indicatur, qvas non communes & naturales, sed mysticas esse, ita ut qvivis dies annum notet, res ipsa loqvitur. Taceo jam

Apocalypſin, in qva tales numeri freqventisſimi ſunt, qvos hic numerare nihil attinet; qvales numeros, utpote in SSra freqventer occurrentes, ita eſſe explicandos, prout res ipſa poſtulat, ut prædictionibus ſua veritas, & accurata adimpletio conſtet, notius eſt qvam monito indigeat.

3) Præterea novus qvidam & obſcurus numerandi modus qvandoqve occurrit, ut *Dan.* 12. 17. ubi duratio rei cujusdam determinatur per unum tempus, qvædam tempora, & ſemisſim temporis, qvem nobis incognitum computandi modum per ſolitam alibi occurrentem dierum, ſeptimanarum, vel etiam certum annorum myſticorum numerum accipere aut explicare velle, nimiam puto eſſe audaciam, qvod etiam dicere licet de 1290 diebus, ibidem & alibi, præſertim in *Apocalypſi* nominatis, qvamdiu non eſt judicatum, utrum per eos myſtici an naturales dies intelligendi ſint.

4) Sic & cum hicce locus *Dan.* 8. 14. ita ſingularis ſit, ut ſibi per omnia parem in ſacro Codice non habeat, ita ſummæ eruditionis viris, & verſatisſimis interpretibus, qvi eum ex communium regularum præſcripto explicare aggresſi ſunt, plus negotii facesſivit, qvam qvisqvam alius; unde manifeſtum eſt, eum etiam ſingularem, & ſibi propriam reqvirere explicationem, fundatam. α) In ipſa qvæſtione. β) In vero verborum ſenſu. γ) In prædictionis adimple-

impletione, qvam temporis, qvo accidit, historia suppeditat: qvibus observatis, & sepositis omnibus præjudiciis, difficultates paulatim cessabunt.

§. LIV.

Interpretes autem etiam illi, qvorum scripta magna cum acqviescentia & foenore legere solemus, hic nobis non satisfaciunt; qvidam enim ex binis hic propositis qvæstionibus unam facere, & utriqve priorem partem responsi angelici applicare videntur; alii, etsi qvæstiones recte secernant, in responsionis expositione cespitare videntur; omnes autem in eandem incidunt scyllam, qvod *vesper & mane* pro integris diebus accipiunt, plurimiqve eo audaciæ processerunt, ut vocem *Dies*, qvæ in Textu Originali non exstat, suis versionibus intruderent, verterentqve hæc verba 2300 *vesper mane*, hoc modo: Vesper mane sunt 2300 dies. B. *Lutherus* noster: " Es sind 2300 Tagen von Abend gegen Morgen zu rechnen. „ qvæ nota marginalis ita explicat: " Es sind nicht Wochentage wie *Dan.* 9. " Jahr-Wochen, sondern gewöhnliche natürliche Tage, da man Abend und Morgen indem rechnet. „ Sed in prooemio in Danielem 2300 per tempus a priori Antiochi regressu ex Ægypto, & introitu in templum, & ejusdem spoliatione, ad ejus usqve mortem intelligit,

qvod 6 annos & 3 menses efficere putat. Haud procul ab eo abcedunt *Gesnerus*, *Calovius*, *Grotius*, & alii permulti, qvorum sententiæ in Tom. Crit. Angl. recensentur, præter *Vatablum* & *Munsterum*, qvi 2300 dies per perbreve tempus intelligunt. *Hieronymus* in qvibusdam Hebræis Codicibus legi scribit 2200. *Andreas Osiander* in marg. Bibl. censet, legendum Elaphim, pro Alphaim id est 1300 pro 2300, qvod dici potest nodum secare non solvere. Et sic alii aliam ex Labyrintho, qvem ipsi formarunt, elabendi viam excogitarunt. Causa autem hujus erroris apud tot viros eruditissimos, & clarissima Ecclesiæ ac Cætus litterarii lumina, in eo consistit.

α) Qvod hunc locum *Dan.* 8. 14. & *Gen.* 1. 5. sq. pro perfecte parallelis habent, ut ex *Calov.* Bibl. Illustr. ad h. l. *Flacii* Clavi SSræ Tit. *Vesper*, aliisqve discere licet.

β) Cum in priore loco *vesper* & *mane* nihil aliud notare putarent qvam diem naturalem, necessario seqvi videbatur, ut hic prorsus idem & nihil aliud significari putarent, unde iterum, seu ex hoc fonte, fluxerunt seqventes exorbitantiæ.

1) Qvod hæc sanctitatis pollutio, qvæ hic prædicitur, duratura esset 2300 dies naturales.

2) Ut hanc sententiam verisimilem, & Textum clariorem facerent, qvidam voculam *Dies* ei intruserunt.

3) Ut

3) Ut hos 2300 dies, ɔ: 6 annos, 3 menses & 20 dies invenirent, sanctitatis inqvinationem exorsi sunt ab introitu Antiochi in templum, & sanctuarium, ejusqve spoliatione, qvod ineunte Anno Seleucidarum 143 supponebant, & durasse sine omni cultu divino per integrum illud sexennium, & qvod superest, statuebant, sed perperam omnia, qvod bona eorum venia dictum esse volumus.

§. LV.

Nam 1) Anno Seleucidarum 143 ineunte, aut sub exitum Anni 142, (nam ut prior *Liber Maccabæorum* annos a verno tempore, ita posterior ab autumnali inchoat) Antiochus magnum exercitum per inferiores provincias ducens, (ut ex 2 *Macc.* 4. 44. & cap. 5. 1. patet) urbibus maritimis, qvæ sceptro Ægyptiaco antea paruerant, suo subjectis imperio, in Ægyptum duxit, ut hac vice, Judæam præteriens, urbem Hierosolymitanam non videret, nedum sanctitatem pollueret; in Ægypto autem urbes capiendo, & provincias sibi subjiciendo, non modo totam æstatem, sed, si ex magnitudine rerum gestarum argumentari licet, bonam etiam seqventis hyemis partem consumsit, ita ut tandem, vergente Anno 143, ex Ægypto domum reverti, & in Judæam ac Hierosolymas venire, eaqve ibidem patrare potuerit facinora, qvæ 1 *Macc.* 1. us-

qve ad v. 30. referuntur; unde patet, omnes dies hujus anni frustra pollutioni sanctitatis adscribi, si vel maxime ultima ejus pars ad eam pertineret.

2) Verum qvidem est, qvod Antiochus Anno 143 sanctuarium intravit, templumqve lychnico aureo, mensa aurea, aliisqve Cimeliis, Ornamentis & Instrumentis aureis ac argenteis, ut & omnibus, qvos invenit, thesauris spoliavit; hoc tamen facto non magis sanctitatem profanavit, qvam M. Licinius Crassus, qvi plane idem facere ausus est, & Cn. Pompejus, qvi in ipsum sanctissimum adytum penetravit, licet templum non spoliaret.

3) Ex collatione 1. *Macc.* 1. 38. seqv. & 2 *Macc.* 6. 1. seqv. patet, templum in Judæorum potestate fuisse, & cultum divinum in eo inviolatum mansisse usqve in annum 145; tunc autem post adventum Appollonii, maxime vero Antiocheni illius senis Athenæi, qvi paulopost Hierosolymam venit, sanctuarium obsideri, populus religionis gratia ad id ascendens occidi, ipsum templum innocentis sangvinis effusione pollui, urbs civium fuga deseri, sabbatorum celebratio, & qvotidianæ oblationes omitti coeperunt, eodemqve tempore edictum Regis propositum fuit, qvo religionis Judaicæ exercitium severissime prohibebatur, gentilis vero religio & abominanda sacrificia, cum omnimoda turpitudine introducebantur, tandemqve ipsa Effigies

gies Jovis Olympii d. 15 mensis Chisleu in altari holocaustorum erecta fuit, & templum ab illo denominari coepit. Unde non ab introitu Antiochi in templum, & ejus spoliatione, juge sacrificium cessasse, & abominationem desolationis incepisse, certum est.

4) Ut prophetia angelica *Dan.* 8. duo habuit membra, unum de religione, alterum de politia Judaica, ut §. LI. monuimus, ita & de ejus impletione notandum est, ipsum Antiochum, dum Anno 143 Hierosolymis hæsit, ejusqve Præfectos Philippum & Andronicum, qvos ibi reliqvit, ut & Appollonium, qvem cum valido exercitu illuc misit, maxime intentos fuisse in templi thesaurorum spoliationem, populi oppressionem & reipublicæ subjugationem, qvam persecutionem angelus qvidem prædixit, sed qvam diu duratura foret, non determinavit: Antiochenum autem illum senem Athenæum, qvem paulopost Appollonium Antiochus Anno 145 Hierosolymas misit, in mandatis habuisse, ut templum pollueret, & ipsam religionem aggrederetur, qvam itaqve ille omnium primus, adjuvante Appollonio, omnibus intentis nervis perseqvi coepit, & ut penitus eliminaretur, nulli pepercit operæ, ut ex 1 *Macc.* 1. & 2 *Macc.* 6. abunde clarum est. Hanc persecutionem angelus cessaturam prædixerat, & qvamdiu duratura, non vero qvando inceptura foret, determinarat; cum vero certum sit, eam hoc anno incepisse,

frustra dies anni 144 ut & prioris partis 145, bis mille illis & trecentis *vesperis mane* assignantur. Nec contradicentes hic multum juvant verba *Josephi* Lib. 13. Cap. 16. dicentis, Antiochum, capta urbe, porcos super altari mactasse, & jure carnium templum aspersisse, cum Auctor summo jure Antiocho tribuere potuerit, qvod ejus jussu ab ejus emissariis & præfectis factum est, ut sæpius in hujus Regis historia facit: ipsa etiam Historiæ indoles & connexio, hoc non statim post primam ab ipso Antiocho factam urbis occupationem factum esse, ostendit, sed post secundam illam Antiochi auspiciis per Apollonium Anno 145 factam, qvæ ob ducis crudelitatem & commissa scelera non minus qvam prior famosa fuit.

§. LVI.

Ex omnibus hisce patet, computum illum 2300 dierum naturalium, qvo utuntur viri eruditissimi, hic nullo modo consistere posse, cum sanctitas non perfecte polluta fuerit, nec verus Dei cultus, præsertim sacrificium juge, penitus sublatum, priusqvam adulto anno 145, qvo erecta fuit abominatio desolationis; si itaqve desolationis initium a 15 d. mensis Chisleu Anni 145. 2300 dies naturales numerando perrexeris, desines tandem in d. 20 mensis Nisan, Anni 151 triennio & 4 fere mensibus ab Antiochi morte, sed

ſed triennio & 9 menſibus a juſtificatione ſanctitatis elapſo, qvod maxime abſurdum eſt, cum angelus juſtificationem ſanctitatis & reſtitutionem ſacrificiorum 2300, prophetiæ finem ponat; ut ultra 25 menſis Chaſleu Anni 148, qvo peracta eſt juſtificatio ſanctitatis, extendi non poſſit. Et ſi vel maxime conceſſeris, qvod ſalva veritate concedi neqvit, dies abominationis initium habuiſſe ab Antiochi introitu in templum, qvi accidiſſe videtur ſub exitum anni 143, finem tamen non inveniunt illi, priusqvam 3. aut minimum duobus poſt mortem Antiochi, ſed plus 9. menſibus poſt juſtificatam ſanctitatem. Siqve tandem, ut nihil inexpertum relinqvas, a juſtificatione ſanctitatis ſeu 25. d. menſis Chaſleu Anni 148, qvi indubie eſt terminus ad qvem, ſeu in qvo ceſſatio ſacrificii jugis finem habuit, retrorſum & ſurſum numeraveris 2300 dies naturales, defines tandem in d. 5. menſis Elul, Anni 142, anno integro & 4. menſibus anteqvam Antiochus Hieroſolymas unqvam vidit; & qvocunqve tandem te vertis, accuratum 2300 dierum numerum ab erectione abominationis, aut (qvod rectius eſt) a ſacrificii jugis ceſſatione ad juſtificationem ſanctitatis a Juda Maccabæo d. 25. menſis Chaſleu Anno 148 factam, nunqvam invenies; qvod nos adegit, ut a virorum eruditisſimorum, qvorum venerandos manes debito honore proſeqvimur, ſententia diſcederemus, veritatis ſtudio & neceſſitate qvadam inducti,

 qvam

qvam nobis intulit tot tantorumqve virorum auctoritas, qvorum qvodvis verbum apud vulgum & semidoctos oraculi instar est, præsertim *B. Lutheri*, qvibus reliqvi consentire videntur, qvi, si non expresse dicit, certe innuit, hic indigitari, dies naturales a vespera inchoatos observandos esse, cujus notæ fundamentum omnino manifestandum fuit, nam demonstrato, de 2300 diebus naturalibus sermonem non esse, simul evincitur, qvod illi a vespera inchoandi non fuerint, cum non- entis nullæ sint affectiones. Qvibus hoc modo præmissis, nostram subjungimus sententiam, qvæ talis est.

§. LVII.

Qvod hujus qvæstionis primum comma attinet, status ejus, ut ex v. 13. patet, talis fuit. Qvamdiu durabit hæc vastatio sanctitatis, seu cessatio sacrificiorum, & in specie sacrificii jugis, vespertini scil. & matutini (illa enim hic expresse nominantur), qvæ verba plane perspicua sunt, & ut sonant intelligenda. Neqve obscurior est responsio angeli, si a verbis ejus non discesseris, ad rogata enim directe & sine ambagibus, sed stylo prophetico respondet dicens: *Usqve ad* (ɔ: post) 2300 *vesper & mane justificabitur sanctitas*, qvæ verba, *vesper* scil. & *mane*, sive in sensu communi pro horis vespertinis & matutinis cujusvis diei ceperis, ut sæpe in

in SSra; exclusis horis intermediis, accipiuntur, ut *Num.* 28. 4. 1. *Paral.* 17. 40. & *Esdr.* 3. 3. (His enim in locis dicitur sacrificium juge offerri mane & vespere, non autem horis intermediis); sive in sensu figurato vel metonymico *vesper* & *mane* pro sacrificiis vespertinis & matutinis intellexeris, res eodem recidit; nam nihil aliud ex hac angelica responsione fluit, modo non in alienum ab ejus mente sensum detorqveatur, qvam talia sacrificia 2300, id est 1150 vespertina & 1150 matutina intermittenda fore, sed post tot officiorum omissionem sanctitatem justificatum iri, ɔ: templum purgandum, & sacrificia denuo instituenda fore.

Qvantum ad tertium comma, seu accuratam hujus prophetiæ ad ipsum rei prædictæ eventum applicationem pertinet, observandum est, hic loqvi angelum de cessatione sacrificiorum qvotidianorum, in templo Hierosolymitano ab Antiocho Epiphane procurata, qvam prædicit tam fore longinqvam, ut 2300 *vespere mane* illis caritura sint. Jam vero ex 1 *Macc.* 1. 57. notum est, qvod abominatio desolationis in templo erecta fuerit d. 15 mensis Chasleu Anno Seleucidarum 145, sed remotam fuisse Anno ejusdem Æræ 148. d. 25 mensis Chasleu, qvod dat dies naturales 1105, sed sacrificia vespertina & matutina 2210, ita ut sacrificiorum numerus, secundum prophetiam intermittendus, superet numerum sacrificiorum, qvæ hoc tempore intermitti

mitti potuerunt, numero 90, id eſt diebus 45, qvi defectus, ut omnia accuratisſime ſibi reſpondeant, facile impleri poteſt hoc modo. Angelus non determinavit, qvamdiu abominatio deſolationis ſeu ejus ſignum in loco ſancto manſurum foret, ſed qvot ſacrificia intermittenda eſſent; cum itaqve certum ſit, ſacrificiorum ceſſationem finem habuiſſe anno Græcorum 148 d. 25 menſis Chaſleu, manifeſtum eſt, ſi retrorſum aut ſurſum numeraveris, datum numerum 2300 ſacrificiorum terminari in ultimo die menſis Tiſri Anni 145, id eſt 6 ſeptimanis & 3 diebus anteqvam ſignum abominationis publice erectum fuit, pridie enim vel eodem die aut aliqvod immane ſcelus in templo patratum fuiſſe, aut impium qvoddam edictum, qvod ſacrificia & publicum Dei in templo cultum penitus ſuſtulit, propoſitum fuiſſe, manifeſtum eſt, qvorum affatim hoc tempore accidiſſe, hiſtoria 1 *Macc.* 1. & 2. *Macc.* 6. clare docet, qvalia ſunt, magna illa innocentis ſangvinis effuſio circa ſanctuarium facta, & ejus pollutio 1 *Macc.* 1. 39. Crudelisſimum Regis edictum v. 40. & eorum cædes, qvi non obtemperabant, erectio novi altaris, & ſuillæ oblatio v. 49. 50. qvæ omnia ante erectionem idoli in altari holocauſtorum d. 15 menſis Chiſleu facta fuiſſe, hiſtoria docet. Cumqve certum ſit, angelum hic nec diem nec noctem unqvam nominaſſe, ita etiam veriſimile eſt, eum nihil minus cogitaſſe, cum hæc loqveretur, qvam

de

de noctis præ die prærogativa, sed verba sua ita ordinasse, ut exacte ipsam rem & ordinem, qvo foret gerenda, exprimeret, manifestum est, noctis prærogativæ defensoribus nihil in hoc dicto præsidii esse.

§. LVIII.

Speciosum etiam est argumentum, qvod pro noctis prærogativa peti potest a 9 illis locis biblicis, §. XXXVII. adductis; sed cum pleraqve eorum singularem facti causam habeant, vis probationis huc referendæ parva aut nulla est. Ex V. T. unicum tantum proferri potest, qvod legitur 1 *Reg.* 8. 29. de qvo notandum, qvod Auctor *Chronicorum* idem dictum 2 *Paral.* 6. 20. proferens, id ita recitat, ut diem nocti præponat, de qvo qvid cogitandum sit, vide supra §. XXIV. Qvæ autem in N. T. reperiuntur, omnia sunt *Pauli* Apostoli, de rebus magni momenti agentia, maxima animi corporisqve vi ac nexu peractis ac peragendis, qvales sunt: ipsius *Pauli* in partibus officii indefessa vigilantia, ejus pro carissimo filio Timotheo precandi assiduitas, viduarum precum ac suspiriorum crebritas, Judæorum pro lege Mosis Zelus, qvi qvantus fuerit, nemo ignorat. Cumqve huic Apostolo alias non insolitum sit de magnis rebus hyperbolas adhibere, sic etiam hic, & his innuere vult, qvod non tantum tempore solito

& in-

& interdiu, sed vel maxime noctu, qvod insolitum sit, his invigilet. Noctem itaqve diei præfert ad augendum tam rei qvam eloqventiæ vim, sed non ad stabiliendum noctis præ die prærogativam.

Taceo, qvod Paulus hic ad Græcos, diem aut a vespera aut a media nocte incipientes, & dixit & scripsit, ad qvorum mentem se accommodare solitus erat, ut (perinde ac de se loqvitur) omnia omnibus fieret.

§. LIX.

Ps. 55. Dicit Propheta Regius, se deplorare coram Domino *vespere, mane* & meridie, & *Ps.* 30. 6. simili fere modo loqvitur de vicissitudine doloris & lætitiæ, ubi vesperam reliqvis horis Canonicis seu precationibus destinatis præponit; non ut vesperæ præ die prærogativam afferat, sed aut ex libero arbitrio, perinde ac *Paulus* Trinitatis personas, & ipse Christus præcepta Decalogi diverso, & non semper eodem, ordine enumerat, vel ad Cæremonias Judaicas respectum habens, qvorum præparatio ac initium ad tempus vespertinum pertinebat; Vel etiam de nullo horum cogitans, cum heic loci ejus unica intentio sit, ut orationis dignitatem, vim, & assiduitatem commendet, ideoqve non tam de scrupuloso verborum ordine, qvam de tanti ponderis re sollicitus; verisimillimum autem

tem videtur, *Davidem* hic ad ordinem ſacrificiorum Judaicorum reſpectum habuiſſe: ſed ut ut ſit, parum ad controverſiam de naturalis diei inchoatione facit.

§. LX.

In hunc cenſum etiam venire debent verba Apoſtoli 2 *Cor*. 11. 25. dicentis, ſe *noctem ac diem in profundo egiſſe*, ubi noctem videtur diei præferre; ad qvod reſponderi poteſt, Apoſtolum uſurpare voculam Nychthemeron, ex communi uſu & vulgi loqvendi more deſumtam, ſine ullo reſpectu ad noctis præ die prærogativam, ſimulqve cogitari poteſt, haberi hic reſpectum ad tempus, qvod in profundo egit, ſcil. qvod circa initium noctis in profundum lapſus aut conjectus fuerit, qvam totam & ſubſeqventem diem in illo manſit; cumqve nox hujus temporis prior pars fuerit, ideo etiam hic convenienter voculam Nychthemeron, ſed non hemeronychtion adhiberi, qvod apud alios ſcriptores reperitur, cum de ſimili materia verba faciunt.

§. LXI.

Sunt, qvi ex qverela Dei *Ex*. 16. de profanatione Sabbati ab illis commiſſa, qvi ſeptimo die legerunt Manna, probare nituntur, Patriar-

triarchas & populum Israelis, aliosqve pios viros ante promulgatam legem sabbata observasse, & si observarunt, certe illa a vespere in memoriam creationis, a vespera inchoatæ, observasse, eoqve noctis prærogativam ad posteros propagasse dicunt: qvibus respondetur. Qvod de Patriarchis ante- & post- diluvianis, aliisqve piis viris, pie conjicitur, incredibile non est, scil. qvod sabbatum aliqvatenus observaverint, sed illud a vespera inchoasse in memoriam creationis a vespera inceptæ, omni destituitur fundamento, cum nulla exstent signa, Israelitas in Ægypto septimum diem sanctificasse, & qvi id contendunt, supponere videntur, Pharaonem & Ægyptios idem fecisse; minime enim alias universum populum septimum qvemqve diem, laboribus intermissis, qviescere permisissent, & si eum servili labore violare coegissent, certe de tam immani facto graviores exstarent qverelæ. Sed cum neutrum horum sit, verisimillimum est, qvod memoria & sanctificatio sabbati hoc tempore exsoleverit, & si tam insignis res obsolevit, qvid de ejus a vespera inchoatione & noctis prærogativa, qvam inde colligere volunt, statuendum sit, omnibus patet. Qverimonia itaqve *Ex.* 16. 28. existens, haud respectum habet ad anteriora & remota tempora, aut leges dudum datas, sed ad proxima verba Dei, qvæ leguntur eodem Cap. v. 5. qvæ die sexto duplum Manna colligere jubent, ut & verba

Mosis,

Mosis, ad primores populi v. 23. *Cras Sabbatum est*, *& sancta qvies coram Domino*, *parate ergo hodie, qvod in crastinum opus est.* Qvod monitum cum qvidam non curarent, Deus de eorum pervicacia qveritur v. 28. Cumqve antiqva consvetudo sit altera natura, qvæ difficulter exuitur, & nulla alia solennis lex de Sabbato adhuc promulgata esset, divina philanthropia hoc ad peccata infirmitatis retulit, nam ultio intra verba stetit, secus qvam *Num.* 15. ubi reus, qvi simile commisit peccatum, sed post pluries repetitam legem de sanctificatione sabbati, sine conniventia lapidationis pœnæ adjudicatus fuit. Nullum itaqve de sabbati sanctificatione ante promulgatam legem Mosaicam, exitumqve ex Ægypto, & multo minus de ejusdem a vespera inchoatione, nec ullum de noctis præ die prærogativa peti potest argumentum.

§. LXII.

Qvam infirmo itaqve nitatur talo eorum instantia, qvi dicunt, Deum omnium sabbatorum & festorum initia & fines ad dierum vesperas alligasse, ut primi diei Analogiam observaret, ac Israelitis inculcaret; consentaneum enim fuisse, ut, qvemadmodum ipse a vespera tempus & alia opera sua inceperit, ita etiam qvod sacra & publicus Dei cultus, qvo mortales sibi ejus opera in

memoriam revocarent, eiqve pro acceptis beneficiis gratias solverent, ad eadem temporis puncta alligarentur, seqventia ostendunt.

1) Qvia ut nondum probatum est, qvod ipsum tempus & creationis opus a vespera inceperit, cum tota SSra ne ejusmodi unum jota contineat, ita & hoc frustra hic fundamenti loco supponitur. 2) Gratis hic asseritur, Deum jussisse, ut Israelitæ omnia festa & sabbata a pridiana vespera inchoarent; hæc enim prærogativa duobus tantum summis festis Paschatos scil. & Expiationis competebat, idqve ob causas gravissimas, qvæ in reliqvis nullum locum habebant; qvales fuere, mactatio & esus agni Paschalis inter duas vesperas, reliqviqve ritus & opera circa hujus festi celebrationem peragenda, & ad illud præcise, non aliud tempus applicanda, ut ex ejus institutione & celebratione *Ex.* 12. 6. *Num.* 9. 5. *Levit.* 23. 5. *Deut.* 16. 5. abunde patet. Sed ad hoc seu Expiationis festum singulariter pertinuit afflictio animarum ab uno vespere ad alterum, qvod *Levit.* 23. 32. *Num.* 29. 7. severe jubetur, ut plane necessum fuerit hæc festa a pridiana vespera inchoare; sed cessantibus his causis, qvæ in reliqvis festis & sabbatis nullum habuerunt locum, cessabant etiam effectus seu festorum a vespera initium. Non tamen inficias imus, nobis non incredibile videri, *Mosen* ob exempla *Ex.* 16. & *Num.* 15. ut & causas §. XLI. nominatas, ne reliqvorum sab-

ſabbatorum prior ac potior pars in Paraſcheuen mutaretur, ut eorum etiam feſtivitates ad Paſchatos & Expiationis feſtorum imitationem, conſentiente aut permittente ipſo Numine, ſtatuiſſe, ut a veſpera pridiana inchoarentur, ſed cum id SSræ fide non nitatur, in medio relinqvimus. 3) Probe eſt obſervandum, tempus ipſum, & opera & ſolennitates ad id pertinentia non eſſe idem, ſed diverſa; Deus nunqvam præcepit, ut ipſa dies ſacra in pridiano veſpere inciperet, ſed tantum ut feſtivitates, & actionum ſacrarum ad feſta pertinentium aliqva præparatio pridie fieret: cui ſententiæ nihil obſtat dictum *Luc.* 23. 54. *Fuit Paraſcheve & ſabbatum incepit*, nam ut ſabbatum primario ſignificat qvietem, ſecundario autem diem qvieti dicatum, ita Evangeliſta in hoc capite voce ſabbati in utroqve ſenſu utitur, nam v. 54. dicit, ſabbatum ɔ: qvietem & ſanctitatem ſabbati cœpiſſe a veſpera Paraſcheves, ſed v. 56. uſurpat vocem in ſenſu metonymico, dicens mulieres ſabbato qvieviſſe, qvod vivo jam inter nos exemplo illuſtrari poteſt; ſolennis illa ſupplicatio nobis indicta, ſeu dies publici jejunii & precum, hoc anno incidit in 14 Maji, unde ex præſcripto Regii edicti feſtivitates & actiones, huic feſto debitæ, pulſatio ſcil. campanarum, occluſio tabernarum & cauponarum, ceſſatio laborum, initium jejunii, & id genus alia, incipiunt 13 Maji, hora 6. pomerid. An ergo ipſum

festum in 13 Maji incidit, & illud hoc anno initium habuit ab eadem hora 6. pomerid.? Absit! sed præparatio festivitatis; simile autem hic de similibus ferendum est judicium. 4) Non multum refert, qvid hac de re statuunt moderni Judæi, nec qvid putarunt antiqviores Rabbini; nam lege hic & effato SSræ standum & cadendum est.

§. LXIII.

Antiqvam valde esse hanc sententiam, qvod nox die prior fuerit, ut negari non potest, ita nec, qvod sola antiqvitas ejus veritatem stabiliat, & immotam faciat, ullo jure asseri potest; si enim opinionum antiqvitas veritatem semper probaret, qvantum tum in Rabbinorum commentis, Græcorum fabulis, Romanorum Mythologia, & Eddicis nostris monumentis, aliisqve historiis, reconditum haberemus veritatis thesaurum; & qvid talia adferre opus est, cum ab ipsa Ecclesia receptæ fuerint opiniones, a veritate non parum abcedentes, & per multos annorum centenarios, ut irrefragabiles fidei articuli creditæ fuerunt. Qvales sunt.

a) Terram, orbiculari figura conditam, tam firmo niti fundamento, ut in æternum ne minimum moveri possit, ex *Davidis Ps.* 104. 5. & *Ps.* 89. 12. verborum & allusionum interpretatione orta sententia, tam firmos apud Judæorum

dæorum & Chriſtianorum doctores radices fixit, ut contrarium ſtatuentes, non modo pro ſtultis ſed & impiis haberentur, unde eorum ſententiam ſui ſeculi oraculum *Firm. Lactantius* Lib. III. Cap. 24. *de falſa ſcientia* refutat, & omnibus deridendam proponit, cumqve multa de eorum ineptiis, & hujus rei naturali impoſſibilitate ſcripſiſſet, hanc ſuam commentationem hocmodo claudit. „ *Poſſem ego multis argumentis probare, nullo modo fieri poſſe, ut coelum ſit terra inferius:*„ hinc & *Virgilius*, Epiſcopus Salisburgenſis, cum rotundam terræ figuram & antipodas ſtatueret, primo a Bonifacio, Archiepiſcopo Moguntino, & Pontificis Romani per Germaniam Legato, erroris admonitus, & deinde hæreſeos accuſatus, tandemqve ab ipſo Papa Zacharia excommunicatus, & ab officio depoſitus eſſe perhibetur.

b) Haud minus paradoxam de ſole fovit ſententiam veneranda antiqvitas, qvem 24 horarum ſpatio circa terram moveri, terram vero immobilem manere putavit, qvæ tam firmas in omnium mentibus fixerat radices, ut *Ariſtarchus Samius*, contrarium ſtatuere audens, parum abfuerit, qvin impietatis a tota Græcia condemnaretur, qvæ ſibi timentes fata *Cardinalis Cuſanus*, eandem ſententiam ex *Ariſtarcho* hauſtam usqve ad mortem clam habuit, & Celeberr. *Tycho Brahe*, aliud potius, ſed minus probabile excogitare voluit ſyſtema, qvam tali peri-

culo ſe exponere: *Nicolaus* autem *Copernicus*, eandem diſſeminare audens, triſtisſima fata, qvæ eum manebant, morte prævertit, qvæ demum in ejus hac de re ſcripta effuſa ſunt; nam *Cardinalis Bellarmini* inſtinctu, a Pontifice Romano in publico Conſiſtorio condemnata fuerunt. Tandemqve præterito ſeculo *Galilæo Galilæi* ejusdem veritatis confesſio ignominioſa revocatione, & æviterno carcere ſtetit. Blasphemiæ enim viros doctisſimos Eccleſia Romana reos egit, qvod Spiritui Sto per Joſvæ & Davidis ora loqventi contradicere & mendacii arguere ſuſtinuerint; qvaſi David & Joſva aliiqve cum vulgo hominum, cujus intererat, ut eorum mentem intelligerent, non ſint locuti, & qvaſi omnia eorum verba, omnino prout ſonant, explicanda eſſent, & omnem aliam penitus reſpuerent interpretationem, qvæ ut nobis videtur, ſine ulla eorum mentis aut ſenſus litteralis depravatione, illæſa veritate conſiſtere posſunt. Ignoſcendum certe Davidi Regi, Prophetæ & Poetæ, in laudes Dei omnes animi vires intendenti, ut & Joſvæ imperatori, in ſummo præliandi ardore conſtituto, qvod magis res qvam verba curarent, & ſenſa animi opticis illis toti populo uſitatis phraſibus, proferrent, ut ab omnibus intelligi poſſent, non enim fuerunt Ludi-magiſtri aut Profeſſores publici, ut illis doctrinam de motu ſolis & terræ ex cathedra coram diſcipulis enodare incumberet. Et

de

de Josva singulariter memoratur *Jos.* 10. qvod hæc verba coram *facie totius Israelis*, (ɔ: ita locutum fuisse, ut a toto populo etiam simplicissimo qvovis intelligi posset,) his enim phrasibus populus communiter utebatur. Et sane in Islandia aut alibi, ubi non alia sunt horoscopia, qvam syderum & terræ inter se accommodatus motus, aliter vix loqvi potuisset, nisi longam descriptionem aut multiloqvia tempus permisisset; hodie enim vulgus rogatum, qvota sit hora, communiter ita respondet: Sol, Luna, Plejades, Ursa est in A. B. vel C. loco, sed nihilo minus cordatiores omnes credunt, solem stare; terram vero moveri. Nihil itaqve aliud a Deo petiit Josva, qvam ut motus naturalis sisteretur, & dies prolongaretur, usqve dum ultio de hostibus sumta esset, sed verba ex communi gentis loqvendi modo sumsit, ut etiam infima plebs intelligeret, qvid a Deo peteret, & mox videret, qvomodo ab ipso exaudiretur. Josvæ enim magni interfuit, ut populus omnem suam fiduciam in Deo collocaret, si autem in talium dictorum explicatione ne hilum qvidem a sensu litteræ recedere licet, qvid tandem ex SSra fiet? Id qvod dicere nolo. Certe tum Herodes fiet animal qvadrupes, pilosum, longam habens caudam; Ananias Pontifex dealbatus paries, Petrus ipse Sathan, & Judæi scorpiones & hydræ. Plura qvidem hujusmodi exempla aut præjudicia adferri possunt, sed hæc,

circa creationis historiam versantia, ostendunt, nec solam antiqvitatem, nec consentientium multitudinem cuivis sententiæ veritatem dare. Si autem non eadem, certe non prorsus dissimilia fata subiisse videtur hoc dictum: *Fuit vesper & mane illa dies*, cum ut meliori sui parte & interiori sensu privatum, arido vero & exsangvi hocce litteræ sensu contentum plura annorum millia jacuerit, qvod nihil aliud qvam noctis præ die prærogativam indicaret, id autem immerito fieri, ita jam demonstratum & probatum esse putamus, ut noctis prærogativæ propugnatoribus, qvi eo ut anchora sacra usi sunt, posthac ab illo parum præsidii sperandum sit.

§. LXIV.

Sed ut sola antiqvitas & affirmantium multitudo fucatæ sententiæ veritatem conciliare non possunt, ita sola novitas, consentientium paucitas, ac Auctoris obscuritas, nulli sententiæ veritatem abstrahere qveunt, cum sæpe etiam sit olitor verba opportuna locutus: In tali itaqve casu sollicite dispiciendum est, utrum enata novitas gloriæ Dei, saluti hominum, analogiæ fidei, bonis moribus, veritati historicæ, menti vel scopo auctoris, ipsius rei indoli, & verborum nativo sensui ullo modo repugnet, extenuet, aut evertat, an vero cum omnibus illis optime

optime conveniat, illuſtret, decoret, augeat, ſtabiliat, & qvodammodo promoveat, qvæ regula critica ut hic obſervetur, veritatis permultum intereſt. Hanc ſententiam ab antiqvitus regnante & communiter recepta perſvaſione, aſſerentium multitudine, longe multumqve ſuperari, ingenue fatemur; perpauci enim eruditorum, qvantum nobis innotuit, ad eandem inclinaſſe videntur, eorum autem, qvi eam, qvatenus diei naturalis initium ad matutinum tempus refert, approbaſſe, aut non penitus ab ea abhorruiſſe videntur, non modo nomina, ſed ipſa etiam verba in §. proximo adducemus; qvod autem ad ipſius antiqvitatem attinet, cardo rei eſt, utrum vera eſſe deprehendatur nec ne. Qvod ſit valde veriſimilis, & alteram illam in eo vincat, negari neqvit, cum id adductis teſtimoniis & indigitatis criteriis probatum ſit, ſed ſi reliqvis veriſimilior eſt, qvidni pro vera haberi posſit, non video; tandemqve ſi vera eſt, certe etiam antiqvisſima, ipſis auctoribus coæva, illisqve propria. Noſtris autem verbis pondus & pretium addet magni *Chemnitzii* aurea ſententia in *Exam. Concil. Trident.* Tom. I. de interpretat SSræ p. m. 107. hoc modo dicta, qvam ut hic inſeram temperare mihi neqveo.

> "Hæc libertas in interpretationibus om-
> "nino in Eccleſia retinenda eſt, ut cum
> "judicio. legantur qvorumcunqve inter-
> "pretationes, & libere exigantur ad fon-

" tes & fundamenta. Nec propterea dam-
" nanda eſt interpretatio aliqva Scripturæ,
" qvod a veteribus qvibusdam diſſentiat, ſi
" modo verbis ſcripturæ, circumſtantiis
" Textus & analogiæ fidei conſentanea ſit.
" Qvid vero veterum ſanis & veris inter-
" pretationibus tribuendum ſit, ſupra dixi-
" mus; utimur enim veterum laboribus
" cum reverentia & gratitudine, ſed ſalva
" libertate Chriſtiana. „

§. LXV.

Licet plurimi Judæorum magiſtri, & permulti Chriſtianorum doctores in hac fuerint ſententia, qvod tempus a veſpera inceperit, & nox naturalis diem præceſſerit: exſtiterunt tamen inter utrosqve viri qvidam eruditisſimi, qvi a communi illa ſententia receſſerunt, qvorum paucos illos, qvi nobis innotuerunt, nominabimus, cumqve illi omnes non unum ſemper ſentiant, ſed in diverſa ſæpe abeant, illorum verba adſcribere non gravabimur. Horum primus erit *Joh. Gerhardus*, Vir Celeberr. *Harm. Evang.* edit. Hamburg. Tom. 2. pag. 982. " Notan-
" dum eſt, Judæos duplici modo dies nu-
" merare conſveviſſe, Eccleſiaſtice ſcil. &
" politice; ſecundum computationem Ec-
" cleſiaſticam, ac diſpoſitionem legis divi-
" næ in celebratione feſtorum obſervan-
" dam,

" dam, dies festos incipiebant a vespera, " *Levit.* 23. 32. sed juxta computationem " civilem in vita communi observandam, " dies naturalis incipiebat a media nocte; " ut sic vespera seqvens esset pars, videlicet " clausula, diei præcedentis, cum juxta priorem sive Ecclesiasticam computationem " esset pars, videlicet initium, diei seqventis. „ Alter erit *Thomas Godvinius* in *Antt. Judaic.* qvas *Mosen & Aaron* insignivit Libr. III. Cap. 1. expresse dicens: " Judæos " diem naturalem profestum civilem, qvi " operibus civilibus dabatur, ab ortu solis " cœpisse, & ad seqventem ortum solis desiisse. „ Cui consentit *Reizius* in Notis ad h. l. dicens. " Istæ gentes nullam habuerunt rationem, nec qvoqve Hebræi, cur " diem nocti postponerent, nisi accesfisset " Dei mandatum sic incipiendi festa, siqvidem dies naturalis præcedat, qvia nun- " qvam nox capi potest sine conceptu lucis " & diei. „ Qvartum producimus *Christoph. Starke* in *Synopsi Biblioth. Exeget.* in V. T. qvi ad *Gen.* 1. v. 5. *Möllerum* allegans, ut ejus sententiam magis probare, qvam rejicere videatur, ita scribit. " So schreibet *Möllerus:* Es ist noch nicht erwiesen, daß " der Abend die ganze Nacht, und der " Morgen den ganzen Tag bedeuten soll. " Besser handeln diejenigen, welche durch " den

" den Abend das Ende des natürlichen
" Tages, und durch den Morgen das
" Ende der Nacht verstehen. Hieraus fol-
" get, daß bei der Schöpfung und folgends
" der Tag eher gewesen denn die Nacht,
" denn die heil. Schreiber setzen den Abend
" als das Ende des Tages, dem Morgen
" als dem Ende der Nacht ordentlich vor.
" Die erste Finsterniß kann auch mit dem
" Nahmen der Nacht nicht beleget wer-
" den, wenn man nicht weiß, wie lange sie
" gewehret, und folgen würde, daß der erste
" Tag der Schöpfung keine ordentliche
" Nacht gehabt hätte, welches wider *Mo-*
" *sis* Wort ist. Welche diesem die mo-
" saische Rechnung der Festtage von einem
" Abend zum andern entgegen setzen, ver-
" mengen mit einander die natürliche, bür-
" gerliche und heilige Rechnung der Tage,
" ingleichen die Zeiten der Patriarchen mit
" denen Zeiten *Mosis*. ,,

Præter hos arguit Celeberr. *Tychonius* in Libro, qvem *de noctis præ die prærogativa* scripsit, *Chartvightum*, *Wilhelm. Langium*, *Brunsmannum*, *Joh. Drusium*, & *Manassen ben Israel*, qvod suæ sententiæ contrarium statuissent. Qvorum *Langius* de *Annis Christi* Lib. I. Cap. 3. Judaicam methodum diem inchoandi antiqvissimam vocat, & multis gentibus in usu fuisse dicit; qvod autem scribit, qvasdam gentes diem a matu-

matutino tempore inchoasse, reprehensionem non meretur. *Drusium* suam dubitationem aliqvatenus revocasse certum est. Sed *Brunsmanni* scriptum de *Exordio & Exodio* diei, ut & *Chartvightii* & *Manasse ben Israel* scripta nobis videre nunqvam contigit. Si autem Israelita ille nihil enormius statuit, qvam qvod dies nocti prior fuerit, certe merito graviorem a *Tychonio* passus est censuram, qvod invita revelatione divina adstruere præsumserit.

§. LXVI.

Omnia autem hæc & alia, qvæ de noctis præ die prærogativa aut dubia aut nulla disputavimus, non ita sunt accipienda, ut ullius SSræ dicti genuinum sensum aut infringere, aut in alienum ab auctorum mente detorqvere voluerimus, sed ut ex eorum genuino sensu, non satis exacte perpenso, minus accurate deductam opinionem revelaremus, nec etiam qvod Patribus tam Ante-qvam post diluvianis eam fuisse consvetudinem, ut diem a vespera inchoarent, præfracte penitusqve pernegemus, sed ut ostendamus, talem consvetudinem, si modo eam ante Legem cæremonialem Judæi habuerint unqvam, non in creatione diei seu ejus primo initio fundatam esse, sed alia forte re, qvæ illis aut fuit, aut revera esse potuit, valde memorabilis, in qvarum numero merito esse potuit prima

ho-

hominis creatio, qvæ si non sub vesperam, certe inclinante ad vesperam die sexto, post alia animalia terrestria, scorpiones & reptilia, facta est, ita ut Adamus suos dies a vespera numerare cœperit. Pari verisimilitudine de peccato dici potest, qvod ejus pœna sub vesperam homini inflicta, & ille e Paradiso ejectus fuerit, unde a vespere Adamus dies exilii & peregrinationis numerare potuerit, eamqve consvetudinem posteris inculcasse, non est penitus improbabile; eos autem procedente tempore, veram ejus caussam aut oblivioni dedisse, aut pudore peccati adductos, aliam honoratiorem, id est creationis & totius mundi initium, substituisse.

§. LXVII.

Sed licet hæ conjecturæ magnam primo intuitu verisimilitudinis speciem habere videantur, pro ipsa tamen veritate qvo minus vendi qveant, obstant.

1) Ipsa argumentorum, qvibus noctis prærogativæ fautores eam probare nituntur, imbecillitas, cum enim alium multo sublimiorem habeant sensum, nihil minus probant, qvam qvod illi volunt.

2) Constans antiqvissimorum V. T. scriptorum noctem diei præponendi consvetudo, qvæ indicio est, gentem Judaicam eorum tempore non aliter loqvi consvevisse, unde seqvi videtur

videtur eam tunc de horum naturali ordine aliam non habuisse ideam.

3) SSræ loqvendi formulæ & phrases, supra a nobis allatæ, ipsos Patriarchas & eorum successores diem naturalem non a vespertino sed a matutino tempore inchoasse, innuentes: unde in eam transgressi sumus sententiam, qvod Israelitæ non modo ad Mosis, sed Samuelis & Davidis tempora, ac forte diutius, eandem consvetudinem retinuerint, non tamen ideo negantes, fieri potuisse, qvod post promulgatam legem de Paschatos & Expiationis festivitatum a vespera inchoatione accuratissime observanda hæc cæremonia ob causas supra allatas, vivo adhuc Mose & forte innuente ipso Numine, ad reliqva festa & Sabbata fuerit traducta. Seqvioribus autem seculis, maxime tamen post captivitatem Babylonicam traditionibus & superstitione in omnia Judæorum civilia, oeconomica & cæremonialia negotia, imo in ipsam religionem, torrentis instar inundante, aliis promiscue diebus applicari cœpisse, & forte sub religionis qvodam prætextu, in hanc sententiam qvasi divinitus qvondam veteribus injunctam, itum fuisse, qvam conjecturam valde credibilem faciunt.

1) Nox (in eodem dicto aut relationem habens ad diem) in Libris Canonicis V. T. nusqvam diei præfertur, præterqvam 1 *Reg.* 8, v. 20. in Libris autem Apocryphis raro, sed in Libris N. T. sæpius occurrit, ita ut hæc con-

ſvetudo hac tempeſtate & creverit, & cœperit, qvod de totius rei novitate non levem excitat ſuſpicionem.

2) Cum inter cauſas, qvæ Judæis captivitatem Babylonicam attraxere, haud ultima eſſet Sabbati violatio & contemtio, tanto poſtea hac in re fuerunt cautiores, ita ut tandem tota fere Sabbati religio in ſuperſtitionem degeneraret, ut ex *Maccabæorum Libris, Evangeliſtarum* ſcriptis, & *Joſephi* Hiſtoria Judaica patet, cujus ſuperſtitionis ramulus qvidam fuiſſe videtur dierum profeſtorum ad imitationem feſtivitatum inchoatio a pridiano veſpere in Sabbati honorem inſtituta.

3) Permulta, ut mox innuimus, hujus gentis inſtituta, haud disſimili modo uſu accepta, qvorum hac vice id unum nominabimus, qvod ſacerdotes in templo ſacris operantes, nudis ſemper incedebant pedibus, qvaſi id in lege ſtrictisſime mandatum eſſet, cujus autem inibi nec vola nec veſtigium reperitur; niſi forte per obſcuram conſeqventiam *Ex.* 30. v. 19. Sed conſvetudo illa ſine dubio originem debuit ſpeciali Numinis mandato Moſi dato *Ex.* 3. v. 5. qvod Iſraelitas primo ad templi adytum, tanqvam locum omnium ſanctisſimum, & deinde ad alia ejus loca transtuliſſe, exemplum vero perinde ac alias eorum cæremonias paulatim ad alias gentes tranſiiſſe, valde eſt veriſimile. Sic conſvetudini de diei a veſpera initio revera a le-

gibus

gibus de festivitatum Paschatos & Expiationis exordio originem habenti, divinam auctoritatem adjectam fuisse putamus, cujus antiqvitatem ad ipsum temporis initium sive creationem, inscitia & superstitio extendit. Ipsum autem hocce dogma Philosophorum per Judæam peregrinationes, Phænicum Coloniæ, & latissime extensa commercia, ipsorumqve Judæorum per totam fere terrarum orbem dispersio, etiam remotissimis gentibus notum fecit & imitandum illis dedit.

Et hæc de nova interpretatione dictorum *Gen.* 1. v. 5. seqv. & *Dan.* 8. v. 14. dicta sunto.

SECTIO IVta.

§. LXVII.

Devolvimur tandem ad consensum plurimarum gentium de noctis præ die prærogativa, ex qvo magnum sibi spondent emolumentum ejus fautores.

Prima, qvam producunt, est gens *Judæorum*, qvæ qvod omnes suas festivitates ad imitationem legis divinæ de Paschatos & Expiationis festorum initio, promulgatæ Anno mundi 2513, ad hæc usqve tempora a vespera inceperit, nullum est dubium, nec ulla indiget pro-

 ba-

batione: cum vero dicta SSræ id tantum videantur jubere, & loca ex Rabbinorum scriptis producta id testentur, qvod abunde ad ejus normam & præscriptum, non tantum festivitates, sed etiam ipsa festa inchoaverint, imo qvod cum tempore hæc consvetudo eo processerit, ut seqvioribus seculis Judæi qvidam sibi persvaserint, omnes dies ex hujus legis mandato a pridiano vespere inchoandos esse, qvæ cum præter divinum mandatum fecerint, hac vice non moramur. Qværitur enim hic, num a suis majoribus, qvi vixerunt ante annum mundi 2513 qvo lex cæremonialis de festorum inchoatione promulgata fuit, Judæi acceperint, & qvod illi a Patriarchis, Abrahamo nempe, Isaaco & Jacobo, illi autem a Noacho qvasi per manus traditum habuerint, mandatum divinum, aut a Deo approbatam consvetudinem, ut diem in memoriam creationis a vespera inceperint; qvod si nihil existit, frustra apud Judæos hac de re qværitur; nam in Libro *Geneseos* annorum 2369 a mundo condito ad mortem Josephi, nunqvam interruptam continente historiam, ne verbum qvidem hac de re reperitur, nec ulla sanctificationis sabbati mentio in toto hoc Libro occurrit, præter ipsius institutionem *Gen.* 2. 3. ubi nihil de ejus a vespera inchoatione. Qvibus rite pensitatis, omnia, qvæ de noctis præ die prærogativa leguntur, in meras abeunt conjecturas, & Rabbinorum commenta.

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Proximi Judæorum accolæ fuerunt *Phoenices*, gens a Chamo descendens, qvæ, ut plerisqve historicis placet, ad mare rubrum primo lares posuerat, sed qvare & qvando ad mare Mediterraneum transierit, incertum est, licet probabile sit, id factum esse paulo post tempora Abrahami. Hos, cum & valde essent impii & crasissimi idololatræ, aliqvid præceptorum Dei, nedum diei inchoationem a vespera, in memoriam creationis eo tempore inceptæ, a majoribus acceptam conservasse, vero valde est dissimile; verisimilius autem, eundem morem seqventi tempore ab Israelitis accepisse, nam notum est, qvantum cum his sub Judicibus & Regibus commercium fuerit; ab his itaqva hunc morem habuisse, ut diem a pridiano vespere inchoarent, multo probabilius est, qvam qvod a majoribus ad Noachum usqve per traditionem acceperint.

§. LXIX.

Ad australe Israelitarum latus habitabant *Ægyptii*, gens itidem a Chamo descendens, idololatriæ adeo dedita, ut fere adoraret qvidqvid videret, sed divinarum institutionum & mandatorum negligentissima, qvapropter apud illam ejus mandatorum observationem frustra

qvæſiveris. Tantum etiam abfuit, ut in memoriam creationis diem a veſpera inchoarent, aut reſpectu inſtitutionis ſabbati a majoribus ſibi traditæ, ut eorum plurimi ab ortu ſolis diem inciperent, teſte *Chriſtmanno* in *Alfraganum*, qvidam a media nocte, teſte *Plinio*, qvidam a meridie, inter qvos fuiſſe videtur doctisſimus eorum Geographus & Mathematicus *Claudius Ptolomæus*, nonnulli etiam a veſpera: difficultatibus itaqve, qvas tanta varietas parit, inductus doctisſimus *Salmaſius*, cum nullius auctorum, qvi de Ægyptiis tam diverſa prodiderunt, fidem indubium vocare vellet, tam diverſas relationes conciliandi novam viam excogitavit, Ægyptios annos inæqvales non habuiſſe, ſed omnes æqvales, 365 dierum cum qvadrante, qvem ſeu 6 illas ſuperfluas horas putat eos qvibusvis annis adjeciſſe, unde factum ſit, ut primus annus a media nocte, alter 6 horis tardius, tertius a meridie, & qvartus a veſpere inceperit: Vide doctiſſ. & Chronol. accuratisſimum *Strauchii* Compendium Chronol. p. 40. Qvod ſi verum eſt, manifeſtum eſt, eos non conſtanter diem a veſpera inchoaſſe, nec ſtatim ſeqvitur, qvod omnes Ægyptii, in permultas minores provincias diviſi, unam & eandem de initio diei foverint ſententiam; potuerunt enim qvidam a mane, qvidam a meridie, qvidam a veſpere, & qvidam a media nocte, diem inchoare; eos autem, qvi diem a veſpera inchoarunt, id a Judæis vi-

cinis

cinis suis cum tempore didicisse, verisimilius est, qvi sæpe ad eos commearunt, & qvandoqve plures inter eos habitarunt. Vide 1 *Reg.* 11. 18. & 2 *Reg.* 25. 26. qvam qvod id in honorem araneæ fecerint, qvod illis tribuit *Plutarchus*, Sympos. Lib. IV. Cap. 5. sed si id ab aranea didicerunt, ergo non a majoribus.

§. LXX.

De *Afris Crispus Sallustius* auctor probatissimus, qvi non tantum præturam inter eos gesserat, sed etiam de eorum rebus scripturus profectionem ad eos susceperat, qvo majore fide & judicio veritatem exploraret, in Libro, qvem de bello Jugurthino reliqvit, ita scribit: „ *Africam initio habuerunt Getuli, & Libyes* „ asperi incultiqve, qvîs cibus erat caro ferina, atqve humi pabulum, uti pecoribus. Hi „ neqve moribus, nec lege, aut imperio cujusqvam regebantur, vagi palantes, ubi nox coegerat, sedes habebant &c. „ qvæ de primis hujus regionis incolis vera esse videntur. Illos autem Chami fuisse posteros, & ex Ægypto in Africam descendisse, docente id *Herodoto*, & consentiente *Bocharto* Phaleg. Lib. 4. Cap. 33. ut & illos majorum persvasionem de diei initio, scil. primævam illam, qvæ ante legis cærimonialis promulgationem ubiqve invaluit, qvod dies a mane, sed non a vespera initium haberet,

primo fovisse, illamqve in Africa invaluisse; nullus dubito, hanc enim opinionem pleræqve gentes, eorum more viventes fovebant. Cui Herculis illius (ut putant Afri, teste eodem *Salustio*, in Hispania mortui) exercitus reliqviæ, ex Persis, Medis, Armeniis, consistentes, qvæ ad eos transierunt, tandemqve cum ipsis connubiis junctæ apud eos lares fixerunt, & in unam cum illis gentem coaluerunt, nullum detrimentum aut mutationem attulerunt; eandem enim hæ gentes, ut supra indicavimus, fovebant opinionem: sed si Hercules ille Tyrius fuit, (ut alii volunt) & ejus exercitus ex Phoenicibus & Arabibus, contrariæ sententiæ fautoribus, constitit, non abludit a verisimilitudine, qvod eandem in Africam tulerint: sed undecunqve tandem hicce Hercules & ejus exercitus fuit, parum interest, cum eadem tempestate aut paulopost Phoenices, præsertim vero Tyrii, strenue in Africa negotiari inciperent, & splendidissimas illas Colonias deducere, urbesqve condere Hipponem, Adrumetum, Utlicam, Trabacum, Leptim &c. & ante omnes Romanæ magnitudinis æmulam illam Charthaginem, qvæ tandem totius Africæ imperium adepta est, ut Africa hoc modo Phæniciis altera patria fuerit. Cumqve ipsi & plurimæ eorum Coloniæ Judaicam de diei initio foverent opinionem, non mirum, qvosdam eorum subditos eandem etiam cum tempore imbibisse, ita tamen, ut urbium sub-

ſuburbiorumqve incolæ, eorumqve vicini, ut & mercatores, militiæqve addicti, primo & præcipue in eam tranſierint, reliqvum vero vulgum, præſertim provinciales plurimos, vagos ruſticos & palantes, qvales Getuli, Mauri, & magna pars Numidarum, aliiqve Nomadæ, antiqvam perſvaſionem retinuerint. Huic ſententiæ nihil officit, qvod plurimi Afrorum noctes pro diebus nominaverint & numeraverint, id enim fecerunt omnes nationes, palantem & vagam vitæ rationem uſurpantes, ſed ideo diem a veſpera non inchoabant, ut ex Europæorum exemplo patet. Nec inde ſeqvitur, qvod qvi feſta & ſolennitates a veſpera inchoabant, etiam a veſpera diem inceperint; aliud enim fuit præparatio cæremoniarum, poſtero mane peragendarum, aliud vero ipſe dies, ut ſupra §. LXII. oſtendimus. Talem, ut jam diximus, & non aliam habuiſſe videntur Afri intentionem, ut nocti præ die prærogativam tribuerent, qvæ qvam firma & antiqva ſit, omnibus patet.

§. LXXI.

Ab Oriente & Auſtro Judæis vicini erant *Arabes*, per qvos intelligimus Iſmaelitas, Moabitas, Ammonitas, Judæorum cognatos, ut & alias minores gentes, vaſtum illum terrarum tractum, qvi Arabiæ nomine venit, incolentes. His a qvibusdam tribuitur, qvod diem a meridie

 in-

inchoaverint; sed cum plurimi eorum antiqvitus solem & alia astra adoraverint, ideo etiam in solis honorem diem ab ortu solis inchoasse dicuntur, qvo spectare videtur *Jobi* Cap. 31. vera de sua Orthodoxia gloriatio. Qvod luminaria coeli non adoraverit, scil. ut alii Arabes vicini sui, qvi mane soli orienti pro feliciter exacta nocte gratias agere, felicemqve diem sibi ab eo apprecari solebant. Sed procedente tempore qvidam horum populorum a Judæorum Regibus, præsertim Davide & ejus posteris, sub jugum missi, multos eorum mores paulatim imbiberunt, inter alios, ut diem a vespera inciperent, qvem etiam ad posteros suos, inter qvos sunt celeberrimi Saraceni, propagarunt.

§. LXXII.

Judæis qvodammodo vicini dici possunt *Syri*, *Babylonii*, *Persæ*, *Chaldæi*, *Medi*, *Hyrcani*, & plurimi superioris Asiæ populi, qvos aliqvando, tempore scil. Davidis & Salomonis, ex aliqva parte usqve ad Euphratem subditos sibi viderunt, illis autem aliqvando ipsi fuerunt subjecti. Hi omnes, ut & populi pleriqve in Asia Minore habitantes, solem adorabant, hinc etiam in solis, ut Dei primarii, honorem, diem cum ejus ortu auspicabantur, qvod de Babyloniis expresse fatetur *Gellius* Lib. 2. c. 2. sed de reliqvis *Strauchius*, aliiqve: unde versus.

Atticus

Atticus occasum spectat: Babylonius ortum. Conf. præter alios magno numero idem testantes *Corn. Taciti* Hist. Lib. III. Cap. 24. " undiqve, inqvit; clamor, & orientem solem " (ita in Syria mos est) tertiani salutavere. „ Qvod Anno Christi 70 factum esse, certum est; unde colligi potest, hunc morem apud illos durasse, usqve dum religionem Christianam publice acceperunt. Taceo, qvod horum populorum doctisfimi Viri plerumqve genethliaci fuerunt, unde illis Magorum & Chaldæorum hæsit nomen, illi vero omnes diem ab ortu solis initium habere docebant, ut testatur *Gelius* Lib. 14. Cap. 1. Qvod autem doctisfimi cujusqve nationis in talibus erant profesfi, id sine periculo toti genti adscribi potest. Nimis itaqve audaces sunt, & veritati minus studentes, qvi confidenter asserunt, omnes hos populos diem a vespera inchoasse.

§. LXXIII.

De *Indis* nobis parum innotuit, nec certum est, qvid hac de re statuerint; qvi ex responso Gymnosophistæ, qvod *Plutarchus* in Vita Alexandri refert, concludunt, universæ Indorum gentis sententiam fuisse, qvod dies a vespere inchoari deberet, & prima nox naturalis dieprior fuerit, parati videntur ex una hirundine ver facere. a) Novit Alexander, qvænam gentis illius

I 5 de

de ea re esset sententia, ideoqve sapientem illum de ea re non rogavit, id enim ei qvisqvis de infima plebe dicere potuisset, sed qvæsivit, qvodnam diei initium verissimum esset. b) Expresse *Plutarchus* dicit, Regem ambiguas proposuisse qvæstiones, & Sophistam hunc fassum esse, responsum suum esse obscurum, scil. qvod nihil definiret, & in utramqve partem aut plures sumi & intelligi posset. c) Ex hac *Plutarchi* relatione concludi potest, Regem iratum primo hos Gymnosophistas neci destinasse, sed defervescente furore, perplexis qvæstionibus, simulata ira, & mortis comminatione, eos excruciare, & ludibrio exponere constituisse, qvod illi percipientes, pari astutia & cavillis responderunt, ac ille qvæsiverat, ut risum ei potius qvam bilem moverent, ut ex neutra parte hic serio & philosophice ageretur, cum alii fucata mendacia proferre non sint veriti, ex. gr. qvod terra major sit qvam omnia maria, qvia maria sint pars terræ. Similiter qvod vivi plures sint mortuis, cum mortui desierint existere, qvod manifeste cum ipsorum principiis pugnavit; nam Calanus, eorum primanus, paulopost rogum ascendens, jussit astantes Alexandri amicos ei nuntiare, qvod Babylone se iterum visurus esset. Ex talibus itaqve responsis nihil certum concludi posse constat; alii autem, ut Qvintus hicce, tricis & ambiguis verbis ad qvæsita responderunt; hic enim qvæstionem: diemne an no-

ctem

Etem prius fuiſſe arbitraretur, ita ſolvit; Νύξ ἡμέρα μία ɔ: *nox uno die*, vel *nox una dies*, vel etiam, ſi *Xylandro* in vita Alexandri credendum, *dies uno die prior fuit*, ex qvo reſponſo nihil certum colligi poteſt, ut ipſe Rex confeſſus eſt. Sed qvicqvid ſit, patiemur, ejus admiratores eo qvaſi ex tripode dicto delectari, & in qvamcunqve volunt partem trahere. Sufficit enim nobis, qvod concedunt, Sophiſtam illam ſententiam, qvod nox die prior fuerit, a Judæis accepiſſe.

§. LXXIV.

Græcorum, tam Europæorum qvam Aſiaticorum hac de re opiniones non multum moramur, diverſæ enim fuerunt tam ratione temporum, qvam provinciarum; Aſiatici enim, utpote diverſarum nationum, Phoeniciorum, Ægyptiorum, aliarumqve gentium coloniæ, genetricis plerumqve obſervarunt perſvaſiones. De Europæis idem fere dicendum, qvod hæc natio vel urbs cum ſuo ſuburbio, ditione, & coloniis hanc, illa autem aliam habuerit perſvaſionem, & ſervaverit conſvetudinem, idqve non conſtanter; nam ut Græci ſæpe ſedes mutarunt, ita loca, urbes, provinciæ cum novis incolis nova dominia, & cum dominiis novam religionem, aliasqve perſvaſiones acceperunt, qvæ hic recenſere, tam ratio inſtituti, qvam noſtræ pa-

ginæ anguſtia vetant. Qvi autem talia noſcere cupit, adeat Illuſtriſſ. *Guldbergii* Hiſt. Univ. ubi eorum migrationes, compendioſe qvidem, ſed ſat luculenter enarrantur. Plurimos eorum a matutino tempore diem inchoaſſe, teſtatur antiqvus verſus.

Græci mane diem capiebant ſolis in ortu.

De Athenienſibus certum eſt, qvod diem a veſpere inceperint, ſaltim tempore *Gellii*, id enim de illis teſtatur Lib. 2. c. 3. nec id de Spartanis præſertim ſeqvioribus ſeculis improbabile eſt, cum ſe Abrahami poſteros, & Judæorum vocarent fratres 1 *Macc.* 12.

§. LXXV.

Priusqvam mare trajicimus & Italiam intramus, diſpiciendum, qvid Græcorum & orientalium *Philoſophi* hac de re ſenſerint, qvorum primus ſe offert

Sanchoniaton (ut vulgo putatur) fuit natione Phoenicius, vixitqve circa tempora Gedeonis, cujus opus, ſermone Græco concinnatum, Phoeniciorum hiſtoriam & theologiam continens, tempore Hadriani Imperatoris primum apparuit, unde viris doctisſimis orta eſt ſuſpicio, nec ipſum hunc virum, nec tale opus prius exſtitiſſe, ſed a *Philone Biblio* excogitatum fuiſſe, ut aliqvid ſub antiqvitatis ſpecie exſtaret, qvod *Joſephi* hiſtoriæ & antiqvitatibus Judaicis opponi

poni poſſet. Qvod ſi verum eſt, mirum non eſt, etſi apud eum, ſeu in laciniis qvæ exſtant aliqvid Judaicum inveniatur.

Homerum poſt everſam Trojam annis circiter 300 vixiſſe, vulgaris eſt opinio, id eſt anno mundi 3120 annis plus 600 poſtqvam lex cæremonialis Iſraelitis data fuit, qvo tempore ejus fama inter multas gentes ſpargi potuit, ut & revera accidit. Taceo, qvod *Homero* ad Ægyptios peregrinatio a qvibusdam tribuitur, in qva multa de Iſraelitarum moribus ac cæremoniis diſcere potuit, & inter alia, qvod nox ſeu tenebræ luce priores fuerint.

Heſiodus eodem qvo Homerus ſeculo vixiſſe putatur, itaqve de eo nihil dicendum aliud, qvam forte qvod non tam late peregrinatus fuerit.

Thales (ut qvidam volunt) fuit Mileſius, ſed ſecundum alios Phoenicius, in eo autem omnes conſentiunt, qvod late per orientem peregrinatus fuerit, unde non mirum, qvod vir diſcendi cupidus, multas Judæorum perinde ac aliarum gentium perſvaſiones, & cæremonias imbiberit, & ſuis ſcriptis inſeruerit. Natus perhibetur circa annum 3364, ut plusqvam 850 annis poſt promulgatam legem viguerit.

De *Ariſtophane*, *Theodecte* & *Theophane*, poetis & philoſophis, idem fere dicendum eſt ac de prioribus; niſi qvod ſingulariter de Theogene memoratur, qvod aliqvando permulta

ex

ex SSra dramati cuidam inferuerit, ac irreverenter ufurpaverit, qvapropter mente captus reftitui non potuerit, priusqvam divinitus admonitus eadem expunxerit, qvod noftram egregie confirmat conjecturam, Græcos Theologiæ Judaicæ non fuiffe ignaros.

Orpheum Thracem natione fuiffe, fed diu in Ægypto difcendi gratia manfiffe, perhibent. Plurima, qvæ de hoc viro referuntur, infipidas fapiunt fabulas, unde haud pauci eruditorum eum nunqvam exftitiffe putant; fed exftitit certe vir qvidam doctus fub Orphei nomine, cujus fcripta alii poft ejus fata adulterarunt, iisdemqve qvædam addiderunt, de qvibus ipfe nunqvam cogitavit; fed qvicqvid tandem Orpheus aliiqve dicere putantur, nihil tamen revera aliud dicunt, qvam æternas illas tenebras, qvas noctem vocant, die priores fuiffe, ut ex eorum verbis patet. De illis itaqve perinde ac aliis noftrum eft judicium, fcil. omnes hos perfvafionem de noctis prærogativa a Judæis, Phoenicibus vel Ægyptiis imbibiffe.

§. LXXVI.

Obfervatis hoc modo Afiæ & Græciæ antiqvisfimorum Philofophorum fontibus, ex qvibus ea haufer unt, qvæ de noctis præ die prærogativa in fuis fcriptis ad pofteros transmiferunt, (nam reliqvos recentiores, fcil. Græcos & Latinos,

tinos, qvi ex horum rivulis, ut & iisdem ac illi fontibus sua irrigarunt arva, adducere, non ducimus operæ pretium) mare Tyrrhenum trajicimus, & ad *Romanos* rerum dominos nos convertimus, de qvibus nullum dubium est, qvod diem, (saltim post introductam Legem XII. Tabularum) a media nocte inceperint, sed utrum ille mos inter eos antiqvior fuerit, merito dubitatur. Romam ad ripam Tiberis in Latio conditam fuisse constat, sed incolæ omnes non fuerunt Latini, sed pastores, bubulci, & fugitivi, qvi ex tota Italia illuc confluxerunt, præsertim vero ex Hetruria, Liguria, & Umbria. Taceo, qvod Sabini dimidia Romanorum pars Hetrusci fuerunt, qvorum nomen Qvirites a Sabinorum urbe Curea sibi sumserunt, & eorum Deo Sabo templum ad Qvirini Fanum exstruxerunt. Cum itaqve Romani cum Hetruscis & Umbris commune nomen & numen habuerint, imo cum ipse Numa, celeberrimus eorum Rex, qvi, teste *T. Livio*, barbaræ huic colluviei leges & jura dedit, natione fuerit Hetruscus, leges illæ vix aliud esse potuerunt, qvam Hetruscorum, Ligurorum, & Umbrorum consvetudines. Qvid igitur vetat credere, eos ab initio alias eorum consvetudines suas fecisse, & illis innutritos fuisse? atqvi Umbri tempore *Gellii* antiqvum nationis morem diem a meridie incipiendo retinebant; Conf. *Gell.* Lib. 2. cap. 3. Ergo verisimile est, totam gentem, cujus pars Romani

qvondam

qvondam fuerunt, antiqvitus idem fecisse, sed procedente tempore, cum Græci gregatim in Italiam transirent, & varias ibi conderent colonias, probabile est, qvamqve harum sui fundatoris morem diu, aut usqve sub Romanorum venerunt potestatem, observasse, juxta versum.

Nox media Ausoniis, media at Lux perplacet Umbris.

§. LXXVII.

Hunc diem a meridie inchoandi abjecisse morem & novum accepisse videntur Romani, cum Leges XII. Tabb. ex Græcia deferrentur, qvod factum est post annum U. C. 300. nam qvid sibi alias voluit nova Lex, in XII. Tabulis obvia. *Solis occasus suprema tempestas esto* scil. agendi cum populo, sed non diei. An antea, sic dum a meridie aut mane diem inchoarunt, cum populo licuit agere usqve ad mediam noctem, ita ut hoc unice hac nova lege vetaretur, valde est incredibile. Probabilius est, facta jam mutatione initii diei, hac lege cautum fuisse, ne ideo actiones forenses in noctem longius protraherentur, qvam ad solis occasum, perinde ac antea factum fuerat. Sed cur Romani medium noctis punctum initium diei constituerint, tam difficilis & altæ indaginis est qvæstio, ut ea doctissimos & oculatissimos criticos non leviter exercuerit. Si qvis qvatuor, qvas *Plutarchus*

tarchus adfert, caufas conjungeret, forte non multum a fcopo aberraret; nam qvid magis naturale, qvam diem a curfu folis, (qvi eum fua præfentia efficit ac dirigit) & ad nos reverfione (qvæ fit media nocte) diem inchoare. Et qvid ducum ac militum in caftris agentium officiis convenientius, (caftra enim Romanorum altera patria fuerunt) qvam ut qvæ mane præparanda fuerunt, cum prima luce exfeqvi poffent? Qvid Romanorum confvetudini forenfi aptius, cujus negotium ante folem ordiri, & ejus occafu terminare folebant? Et qvid tandem rei domefticæ utilius, qvam ante diem ea præparare, qvæ cum ipfa aurora aut primo mane, fedulos patres familias ordiri deceret? Sed qvidqvid fit, id tantum certum eft, qvod antiqviffimi Italiæ populi diem a meridie exorfi fuerint, qvem morem Umbri diutisfime retinuerunt, reliqvi autem unacum Romanorum jugo eorum etiam confvetudines paulatim acceperunt, nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

§. LXXVIII.

Gallos fua ætate noctem diei prætuliffe, & a vefpera qvodvis Nychthemeron inchoaffe, teftatur *Cæfar* B. Gallic. Lib. 6. c. 18. cujus verba hæc funt.

" Galli fe omnes a Dite patre prognatos
" prædicant, idqve a Druidibus proditum

K " effe

"esse dicunt, ob eam causam spatia om-
"nis temporis non numero dierum sed
"noctium finiunt, & dies natales, & men-
"sium & annorum initia ita observant, ut
"noctem dies subseqvatur.„ Qvam sententiam plurimi eruditorum qvasi ex tripode dictam a *Cæsare* mutuati sunt, & suam fecerunt. Sed iisdem reclamare non dubitat *Joh. Henr. Reizius*, in notis ad *Thomæ Godvini* Mosen & Aaron, ita scribens: "Gallorum illa ratio a
"Dite ficulnea est, & sine dubio ficta, qvi
"aliam rationem reddere neqvibant, cum
"fortasfis cæce essent imitati Græcos,
"Græci Hebræos;„ ut & Vir Eruditiss. *Joh. Christ. Gottsched*, Profess. Acad. Lips. in Not. ad Lexic. *P. Bælii* Tom. IV. pag. 610.
"Dieses ist ein offenbahrer Mißverstand
"Cäsars gewesen, der die Gallische Spra-
"che nicht verstanden hat: denn wenn
"ihm der Gallier auf Befragen; woher
"sie stammeten? geantwortet haben: Von
"einem Diet. So hat Cäsar, der die
"Griechische und Römische Mythologie
"im Kopfe hatte, verstanden: a Dite Patre:
"oder vom *Pluto*. Das ist aber der
"Gallier Meinung gar nicht gewesen;
"Diet heißt im alten Deutschen und Cel-
"tischen ein Volck, daher hernach die
"Nahmen *Dietrich*, *Theuderich*, *Theo-*
"*dorich*, so viel als Volckreich, oder
"reich

" reich an Unterthanen kommen. Viel-
" leicht kömmt auch Ditmarsen, Ditleu,
" Detmold u. a. m. daher. Diesem nach
" haben die Gallier nur sagen wollen, sie
" stammeten von einem Volcke her. Wel-
" ches sie ihm zwar nach ihrer Meinung
" und Kenntniß werden beschrieben haben,
" das aber vom Cäsar nicht recht verstan-
" den, oder bei der falschen Meinung vom
" *Pluto*, die er sich in den Kopf gesetzet,
" aus dem Sinne geschlagen worden rc. „
Hactenus ille, & nostra sententia valde apposite, nihil enim verisimilius qvam hæc conjectura; collapso autem fundamento, qvod Galli dixerint, se a Dite prognatos esse, sua sponte ruit structura, qvod ideo noctem diei prætulerint. Qvibus addi possunt alia non minoris valoris argumenta.

1) Si Galli *Cæsaris* ætate Ditem aut Plutonem nominare sciverunt, probeqve noverunt, qvæ Græci & Latini huic numini tribuerunt, oportet eos & Græcæ & Latinæ Lingvæ peritos fuisse, & utriusqve Mythologiæ gnaros; sed de Lingva contrarium apparet, Lib. 1. c. 19. & 47. ubi ipse *Cæsar* Græcæ & Latinæ Lingvæ callentissimus, sed Gallicæ imperitus, per interpretes cum ipsis Gallorum principibus loqvitur; unde patet, eos Græcæ & Latinæ lingvæ fuisse inscios, ideo etiam mysteriorum tam Græcorum qvam Romanorum ignaros fuisse, tuto statui potest.

 2) Præ-

2) Præterea valde est incredibile, ullam gentem, præsertim Gallos, gentem superbam & ambitiosam, a Deo infimo & contemtissimo Numine se prognatam, gloriatam fuisse; Multo verisimilius est eos statuisse, se a *Thiet*, gente celebri, prognatos esse, qvæ noctes non dies numeraverit; sed noctes non dies numerare cum aliis Septentrionis gentibus Gallis commune fuit, cujus consvetudinis causam paulo inferius §. LXXXVI. aperiemus.

§. LXXIX.

Hæc ita se habere persvasi sumus, licet ex hoc eodem *Cæsaris* Libro Cap. 29. & qvidem primo aspectu sat speciosam prævidere objectionem videamur, ubi *Cæsar* ita scribit. „ In Castris Helvetiorum tabulæ repertæ sunt, literis „ Græcis confectæ, & ad Cæsarem perlatæ &c. „ Unde seqvitur, fuisse Helvetios Græcæ lingvæ gnaros; qvod si verum est, qvid vetat, ejusdem etiam reliqvos Gallos peritos fuisse? Huic regerimus ipsissima hæcce *Cæsaris* verba: Tabulas illas confectas fuisse *litteris Græcis*, seu litterarum figuris, qvas sine dubio a Massiliensibus Græcis, per totam Galliam mercaturam facientibus, acceperant, sed ipsa res, seu recensus copiarum Helvetiorum, qvem continebant, lingva & verbis Helveticis scriptus fuit, ut ad hunc locum notat Doctiss. *Cellarius*, qvod egregie confir-

confirmatur, & verisimile sit. a) Ex Libro 5. cap. 48. ubi refert *Cæsar*, se ad Ciceronem, suum in Gallia legatum, sed in magno periculo constitutum, a maxima qvippe Gallorum multitudine, in qva sine dubio non pauci Gallorum doctisfimi fuerunt, forte & in propinqvo Druidæ, qvi litteris, id est litterarum figuris Græcis utebantur, obsessum & circumdatum, epistolam misisse, per medios hosce hostes perferendam, Græcis conscriptam litteris, ne intercepta sua consilia ab hostibus cognoscerentur, qvod probat, eos Græcæ lingvæ imperitos fuisse, licet litteris Græcis uterentur. b) Qvod Latinam lingvam non melius calluerint, inde probatur, qvod ipse *Cæsar* nec cum Æduis Gallorum doctisfimis, & provinciæ Romanæ proximis, sine publicis interpretibus, nec cum eorum principibus viris, sine dubio reliqvis doctioribus, secreto colloqvi posset, sine proprio suo interprete Valerio Proculo. c) Ipse *Cæsar* Lib. VI. cap. 14. aperte fatetur, disciplinam & instituta Druidarum in Britannia (ergo nec in Italia nec Græcia) reperta esse, indeqve in Galliam translata, unde qvi diligentius ea cognoscere voluerint, plerumqve ex Gallia discendi causa in Britanniam profectos fuisse; atqvi Britanni ante Romanorum in eam insulam aditum, Romanæ mythologiæ plane ignari, nunqvam se a Dite patre prognatos esse dixerunt, ergo nec Galli. d) Etsi Galli se a Dite patre prognatos esse cre-

diderunt, cur more omnibus gentibus recepto, ſuos ſatores & atavos præ aliis colere conſvetis, Ditem non adorarunt, nec ullo mactarunt honore? Teſtatur enim ipſe *Cæſar* Lib. 6. cap. 17. Mercurium eos maxime colere, poſt hunc vero Appollinem, Jovem & Minervam, ſed Plutonis ibi nulla mentio, qvæ magna & inaudita ingratitudo erga gentis ſtatorem & ſatorem a Gallis non fuit ſperanda, qvorum omnem gentem admodum deditam eſſe religionibus, ipſe *Cæſar* teſtatur Cap. 16. Noſtro judicio Galli hæc omnia Deorum nomina ignorarunt, *Cæſar* autem, ex analogia qvadam religionis Gallicæ cum Romana, hunc cultum Mercurio, illum Marti, iſtum Appollini, Jovi aut Minervæ, a Romanis tribui novit, ergo Gallos eosdem Deos etiam agnoſcere & colere, conjecit. Sed cum nulla Plutonis cultus apud eos veſtigia aut analogia exiſteret, incredibile eſt, qvod ſe ab eo prognatos eſſe crediderint.

§. LXXX.

De *Germanis* ſcribit gravisſimus Auctor *Tacitus* Libr. de moribus Germanorum Cap. II. „ *Nec dierum numerum ut nos, ſed noctium computant; ſic conſtituunt, ſic conducunt. Nox ducere diem videtur.* „ Cui hoc modo reſpondet Laudatus *Gottſched.* „ Wenn aber die al„ ten

" ten Celten und folglich alle Völcker von
" Europa, vormahls ihre Tage von Nach-
" ten angefangen, so dünckt mich solches
" nicht anders zu seyn, als was die Rö-
" mer gethan, und wie alle noch thun. —
" Dieses ist die allernatürlichste Art zu
" zählen, die Sternseher mögen sagen
" was sie wollen ꝛc.„ Qvam viri doctissimi assertionem, scil. qvod antiqvi Celtæ, & conseqventer omnes Europæi, eodem qvo Romani modo a media nocte, sed non aliter diem inchoaverint, sine ulteriore probatione nostram facere neqvimus, præsertim tempore antiqvissimo, priusqvam magna Europæ pars Romanorum subiit jugum, sed hoc accepto, maxime autem post introductam religionem Christianam, hanc consvetudinem, qvoad initium diei naturalis, apud multos inolevisse, non negamus, licet aliter de diebus festis & festorum Cæremoniis sentiverint, unde constare putamus, qvod hic ab uno tempore ad alterum, seu a seqvioribus ad priora secula non liceat argumentari. Germani certe non secus qvam aliæ vicinæ nationes sub Papatu didicerunt profesta & vigilias subseqventi diei attribuere, & illa ab eodem denominare, ut Festen-Abend, Martins-Abend, sed tales phrases nihil faciunt ad probandum antiqvissimam nationis persvasionem de vero diei initio, cum sint mere Ecclesiasticæ, & superstitiosæ Papatus reliqviæ. Certiores multo & ma-

joris momenti sunt antiqvi illi civiles & politici loqvendi modi, in ipsa rei natura, lingvæ genio, & antiqvissimis nationis persvasionibus fundati, & ex illis fluentes, in qvibus Abend finem præsentis diei notat, ut sunt: Verlobungs-Abend, Heiraths-Abend, Lebens-Abend &c. Qvidam etiam Germanorum Grammatici non dubitant derivare voculam Nacht *nox*, a particula nach *post*, eo qvod diem seqvatur. (Vide *Spathen* Lexic. Etymol.) *Reinhardus Bakius*, Antistes Rostochiensis, & *Joh. Buno*, Rect. sch. & Prof. Gymnasii Luneburg, testantur, Norimbergenses, antiqvi moris tenacissimos, suo adhuc tempore diem a primo mane inchoare, qvod plures Germaniæ civitates diu fecisse, valde est verisimile, sed qvod hunc morem a Babyloniis acceperint, ut vult *Buno*, in medio relinqvimus; a remotissima antiqvitate ipsis fuisse vernaculum & hæreditarium, ex eodem primo fonte ac Babyloniorum, scil. consvetudine Noachidarum derivatum, potius conjectassemus. Sed de Celeberrimis hisce Duumviris, *Cæsare* & *Tacito*, id notandum est, qvod, licet *Tacitus Cæsarem* imitetur, ejus tamen errorem inspiciens, cautius & scribit & concludit, nam qvod *Cæsar* plane asserit, id Tacitus per *Videri* exprimit; de qvo nostra est sententia. 1) Recte uterqve suæ genti tribuit, qvod noctes non dies computaret. 2) Qvod hoc computo noctium in constitutionibus & conductionibus usa fuerit. 3) In

eo autem utrumqve erraſſe arbitror, qvod haſce regulas eſſe generales, & ad omnia extendi debere, putarunt, cum veriſimile ſit, eas fuiſſe ſpeciales, & tantum ad certas res & certa temporis ſpatia, certas ob cauſas applicabiles. 4) Concluſionem, *qvod nox diem duceret*, utriqve nationi, maxime vero Germanis immerito adſcribi, putamus, idqve ſubolens aut de eo dubitans cordatisſimus auctor *Tacitus*, per ſuum *videtur* ſententiam dixit; qvæ omnia ex conſvetudinibus Islandorum, paulo inferius luculenter tractandis, facile, modo debitis adhibitis cautionibus, explicari poſſe credimus, qvo Lectorem hac vice remittimus.

§. LXXXI.

Magnæ Britanniæ incolas ante Romanorum in eam tranſitum, eandem ac accolas Britannici Canalis Gallos ac Belgas de initio diei foviſſe ſententiam, facile credo, *Danos* autem eandem ac Germanos, aut ei valde ſimilem. Qvales vero *Svecorum* & *Norvegorum* ante Odini adventum opiniones fuerint, incertum eſt. Sed poſt ejus adventum & forte prius conſtare videtur, qvod noctem pro integro die numeraverint, veriſimile autem, eos diem a mane non vero a veſpere inchoaſſe, noctemqve ſeqvi, diem autem præcedere cogitaſſe; hoc enim homini, mere naturaliter judicanti, convenientisſi-

mum putamus; cui ſententiæ nihil officit, qvod ad feſta, ſacra, commiſſationes, convivia nuptialia, parentationes, & talia, veſpere pridiano confluxerint, easqve a veſpera inceperint, id enim alias & plane diverſas cauſas habere potuit: ſed fateor, meræ ſunt conjecturæ omnia hæc, & qvid aliud facere poſſumus qvam conjicere in rebus tam obſcuris, ubi veritas aliter expiſcari neqvit. At poſtqvam religio Chriſtiana in Germania, Gallia, & Belgio radices figere coepit, qvod præcipue factum eſt ſeculis VI. & ſeqv. aliam in horologii inſtitutione & temporum computatione mutationem fieri coepiſſe, probabile eſt. Eorum enim, qvi ejus, ut & antiqvæ Græcæ & Romanæ mythologiæ aliqvem guſtum vel primis delibaverunt labiis, ingenii foetus videntur eſſe Fabulæ Eddicæ, utpote ex utrisqve conflatæ, ſed ad antiqvum ſeptentrionalium ſyſtema & perſvaſiones accommodatæ, qvarum huc præcipue pertinet VIII. Fab. Eddæ Snorronis, cujus hæc ſunt verba.

" Narfi het Jotun er bygdi í Jotunhei-
" mum; hann atte Dottur er Nótt het, hun
" var ſvört og dock ſem hun átte Ætt til.
" hun var gift fyrſt þeim manne er *Naglfari*
" het, þeirra Son het *Audur:* því nærſt var
" hun gift þeim manne er *Anar* het. Jörd
" heitir þeirra dottir. Sídaſt atti hana *Dellin-*
" *gur* og var hann Aſa ættar. var þeirra Son
" *Dagur*, var hann liós og Sagur efter Fa-
" derne

„ derne ſinu. Þá tók Alfadir nótt og dag Son
„ hennar, og gaf þeim tvo heſta og ſetti uppa
„ himen, ad þau ſkylldu ryda á hvorium 2.
„ dægrum umhverfis Jördena. Rydur nótt
„ fyrer heſti þeim er kallaſt *Hrimfaxi*, og ad
„ morgni hvorium doggvar hann Jordena
„ med meldropum ſinum; ſá heſtur ſem
„ dagur á heitir Skinfaxi, og liſir allt Lopt
„ og Jord af Faxi hans.„

Narfus Gygas erat in Jotunheimis: hic filiam habuit, qvæ nox dicebatur, nigram & fuſcam inſtar generis ſui. Hæc viro nupſit nomine Naglfari: *horum filius* Audur *fuit. Deinde nupſit* Anaro, *quorum filia* terra *erat. Poſtremo elocata eſt* Dellingo, *ex genere Aſarum. Horum filius erat* Dagur (dies) *lucidus & formoſus paterno generi ſimilis: tunc noctem & Diem Pantopater ad ſe recepit, dans illis eqvos duos in coelum miſit, ut ſingulis* 24 *horis totum orbem circumeqvitent.* Nox *præcedens eqvo inſidet, qvi* Hrimfaxi (*pruina jubatus*) *dicitur, hic qvovis mane ſpuma, ex juba ejus decidente, terram rigat: Eqvus* diei *Skinfaxi* (*jubare jubatus*) *dicitur, ejus juba coelum & terra illuminantur.*

De qvo ὡς ἐν παρόδῳ in gratiam lectoris, lingvæ Islandicæ minus gnari, notare placuit, qvod non leviter erravit translator hujus fabulæ, exponendo vocem *meldropar* per *ſpumam jubæ*,

jubæ, cum vertendum esset *gutta cami* vel *freni. dropi* enim guttam notat, sed *mel* camum, seu ferream illam freni partem, qvæ ori eqvino inditur, ut *meldropar* revera sit spuma oris eqvini, per frenum ebulliens, cui ipse auctor fabulæ valde improprie irrigationem terræ tribuit; hunc autem illius errorem correcturus translator, ipse in eo erravit, qvod spumam jubæ eqvinæ tribuit, cum pruinam & guttas jubæ attribuere deberet, coma enim & juba non spumare, sed guttatim stillare dicuntur. Sic *Lucanus* Lib. 7. dicit, arbores *stillare* rore. & *Tibullus* Eleg. 4. comam *stillare* rore Tyrio. Utriusqve tam auctoris qvam translatoris animo obversata fuisse videtur species — sonipedis spumantia frena - mandentis — de qvo canit *Virgilius* Æneid. 4. cum autem hic non competentem locum haberet illa similitudo, neutri illa imitatio feliciter cessit, qvæ inter alia fabulæ novitatem produnt.

§. LXXXII.

Qvanti hæcce Eddica fabula æstimanda sit, partim ex totius *Eddæ* auctoritate, partim ex ipsius fabulæ constitutione pendet. De celebri illa qvæstione, an Edda Islandica unqvam fuerit gentium septentrionalium commune religionis systema, nostra hæc est sententia. Eddam in genere, imo antiqvissimas Odas, ipsi Odino & ejus

ejus sociis ac successoribus communiter adscribi, solitas, nedum recentiores illas, manifesta religionis Christianæ signa continentes, unqvam fuisse ulli genti, multominus universo orbi arctoo publicum aut communem fontem, ex qvo suam hausit religionem, nec Libri Symbolici loco, ad cujus normam eandem exercuit, tutissime negari posse credimus, cum vetus illa septentrionis religio & ritus sint illis multo antiqviores; pleræqve etiam Odarum Eddicarum nobis adhuc superstites, aut nihil tale continent, aut illud, qvod continent, uni tantum provinciæ aut familiæ usitatum fuisse videtur, una enim natio maxime coluit Thor, alia Frey, tertia Odin, qvarta Jomala. Hæc familia hunc, altera illum Deastrum, Deam vel Disam, & qvemvis horum singulari cultu & cæremoniis, ut plane esset impossibile, qvod unum haberent systema religionis. Sola *Voluspá*, & *Vafþrudnismál* compendium qvoddam theologiæ dogmaticæ exhibent, sed ut videtur abstrusioris & subtilioris, qvam qvæ vulgo nota fuit, qvæ seculo 9. & 10. ex signis & criteriis, qvæ secum ferunt, composita esse videntur; incertum etiam est, utrum dogmata illa & ritus, qvæ propinant, ex antiqvioribus Odis hauserint, an vero eadem excogitaverint, prius tamen, qvicqvid alii dicunt, nobis de majori eorundem placitorum parte, magis arridet; qvod autem particulares & privatarum personarum confessiones hæ Odæ con-

contineant, vel maxime inde constat, qvod tantum de theoreticis & dogmaticis tractant, practica autem, seu de oblationibus & sacrificiis, qvænam scil. animalia offerre liceat, & qvæ cuiqve Numini competant, qvæ cæremoniæ in qvovis sacrificio usurpandæ, ne uno verbo tangunt; theoria enim in articulis dogmaticis diversa esse potuit, sed praxis seu externæ & publicæ actiones non item, cum in illis cardo totius religionis verteretur, & ideo, saltim qvoad essentialia, pro cujusqve lubitu mutari non potuerunt, sed vel ab ipsa religionis natura, qvæ nunc hominem, nunc bovem, eqvum, ovem vel aliud animal, & certos actus ac cæremonias poscebat, vel ab arbitrio summi mysteriorum antistitis pendebant. De reliqvis autem Eddicis Odis, moralia & historica continentibus, eadem nobis stat sententia, scil. recentiores multo esse qvam vulgo putantur. Unde patet, qvid de Edda Snorroniana, vel ex pariter incertæ ætatis & auctoritatis fabulosis Odis post annum 1220 collectis, sentiendum sit; continet enim illa haud paucas fabulas, theologici & historici argumenti, metachronismis, hyperbolis & ineptis catachresibus ita refertas, ut vera a falsis discernere non parvi constet, unde generatim omnes, specialissime autem illæ, qvæ theologici sunt argumenti, nunc vocantur *Harsligi*, mendacium Hari, nunc *Gilfaginning* ɔ: deceptio vel illusio Gilfi, eo qvod Odinus personatus ad Gilfum

ſum veniens, nomen ſuum profeſſus fuerit eſſe *hár* altus, & Gilſum talibus mendaciis impleverit, cujus autem auctoritatis & qvantæ antiqvitatis hæ denominationes ſint, non dixero. Licet autem multa falſa & frivola contineant hæ fabulæ, ſibiqve ipſis & aliis antiqvis relationibus contradicant, qvæ culpa non penes collectorem, qvi eas bona fide collegit, in compendium redegit, & nobis conſervavit, ſed primarium auctorem, unum aut plures, (nam diverſos fuiſſe, veriſimile eſt), maxime autem penes interpolatores reſidere videtur, id tamen non efficit, qvin magni debeant æſtimari, multa enim utilia, & antiqvitatum ſtudentibus neceſſaria, qvæ alibi fruſtra qvæſiverint, docent & explicant, qvæ hac vice ulterius examinare aut proſeqvi non permittitur.

§. LXXXIII.

De Octava hujus Eddæ mox adducta Periocha ut paulo plura dicamus, inſtituti ratio poſtulat. Summis ad coelum usqve eam effert laudibus Celeberrimus *Tychonius*, in ſuo *de noctis præ die prærogativa* eruditiſſimo Tractatu, qvod nos ei, aut verius ipſi auctori, haudqvaqvam invidemus, valde enim ingenioſum eum fuiſſe, ratio ſvadet, licet nec ipſe primarius inventor ſit, ſed aliunde ejus materiam habuerit, & ſuo conatu non obtineat, qvod intendit, nec tandem mate-

materiam ita explicaverit, ut omni careat vitio. Primo enim materia hujus fabulæ magna ex parte desumta est ex *Gen.* 1, 1. 2. 3. 4. 5. aut ex antiqvo qvodam Comment. triviali in *Gen.* Cap. 1. nam ex *abysso* fecit magnum gygantem *Narfi*, (antiqvos autem Oceanum vocasse *Narfi*, patet ex eo, qvod fretum Herculeum vocarunt *Niörfasund* ɔ: ostium, per qvod Narfi f. Oceanus in mare mediterraneum intrat); ex *tenebris super abyssum* fecit *noctem*, abysfi seu Niorfi filiam; ideo autem statuit, noctem ante diem fuisse, qvod tenebræ statim nominantur *Gen.* 1. 2. sed lux tandem v. 3. & ex eodem principio facit diem noctis filium, non tamen primo genitum, certum enim ordinem servans primas nocti nuptias cum *Naglfario* ɔ: navi commentitur, eo qvod tenebræ & aqvæ primo nominantur; hinc navim ad transeundum aqvas primo exstitisse fingit. His conjugibus, navi & nocti, tribuit filium, cui nomen *audur*, divitiæ, qvia divitiæ noctu non secus ac interdiu navigatione comparantur. Secundas nocti nuptias tribuit cum marito, nomine *Anar* labor, vel laboriosus, ex qvo *terram* peperisse dicit; qvæ labore colenda fuit. Tertias demum nuptias cum *Dellingo* ɔ: sole iniisse, & ex eo diem concepisse tradit, idqve ideo, qvia sol *Gen.* 1. 16. dicitur diem regere. His omnibus perficiendis haud breve tempus tribuere videtur, saltim qvibusvis noctis nuptiis unus annus dandus erit,

qvod

qvod non male convenit cum eorum ſententia, qvi pro qvovis die creationis annum intelligunt, & ſic nuptiæ ſolis & noctis haud male cum qvarto die conveniunt, qvo ſol revera creatus fuit. Hæc ex aliqvo Chriſtiana religione imbuto, aut proletario qvodam Commentario auctor hauſiſſe videtur, ſed ad modum Mythologiæ Græcæ & Romanæ iterum poliviſſe, faciendo ex rebus inanimatis homines utriusqve ſexus, qvi, in conjugio viventes, liberos ſibi qvodammodo ſimiles procrearunt: ex his ſedem in coelo asſignat nocti & diei, eqvosqve tribuit, qvorum nox præit, dies ſeqvitur. Hanc doctrinam ex fontibus nominatis, nunc ex hoc nunc ex illo, hauſtam, ſuo modo ſat dextere derivavit, usqve dum tandem graviter hallucinatur, tribuendo *Meldropa* ſeu ſpumæ oris eqvi Hrimfaxii irrigationem terræ, qvam perinde ac totius mundi illuminationem ſplendori jubæ Skinfaxii tribuerat, ita & pruinoſæ jubæ Hrimfaxii a ſole liqvefactæ terræ irrigationem adſcribere debuit, præſertim cum ei in hunc unice finem pruinoſam jubam dederat, cum nemini ignotum ſit, rore & pruina nocturna, non vero ſpuma animalium, terram irrigari, nam ros & pruina arctoi poli accolis idem fere eſt, niſi qvod ros ſtatim, pruina vero ſole oriente in aqvas ſoluta, terram pari modo irrigant. Hæc itaqve ut non magnam illam & multis celebratam ſapientiam Othinianam, ſic nec reliqva merum gentilis-

mum & barbariem ſapiunt, ſed ſine dubio ſunt foetus cujusdam luxuriantis ingenii, Chriſtiana religione aliqvatenus imbuti, ſed Græcæ aut Romanæ Mythologiæ non ignari, qvod ſeculo 10 aut 11. floruiſſe videtur, qvibus ſimilis mixtura non inuſitata fuit; talis enim videtur fuiſſe leſſus, in obitum Olai Sancti a *Sighvato* Poeta factus, ad modum carminis feralis in obitum Sigurdi Fafnicidæ, ut & qvædam carmina *Hallfredi* in *Vita Olai Triggonis* adhuc obvia; huc etiam referendi Helgi Magri, qvi Chriſtum in rebus minoris momenti, ſed Thorum in difficilibus & arduis invocavit: Harekus, Baro qvidam Norvegus, Chriſtianum ſe profitebatur, nihilominus ingentem Taurum coluit: Gudrida qvædam virgo Chriſtianæ religioni addicta in exercitio incantatorio Volæ cujusdam Grönlandicæ adjutricem aut Diaconiſſam agens carmen magicum *Vardlokur* magna devotione cecinit. Et qvid de primordiis religionis Chriſtianæ in Islandia cogitari poſſit, cum publica tantum ſed non clandeſtina idololatria prohibita fuit, qvivis facile judicare poteſt. Similiaqve religionis amphibia alibi terrarum exſtitiſſe, non eſt qvod dubitemus. Ex horum numero fuiſſe auctores antiqvarum Odarum, maxime autem illius, ex qva Octava fabula Eddæ Snorronianæ deſumta eſt, nullus dubito. Fruſtra itaqve hæc ut ab Odino & ejus poſteris ad nos profecta, & ad ipſum per ſuos majores, ad Noachidas usqve

qve qvaſi per manus ab uno alteri tradita perveniſſe ſtatuantur. Multo minus ſeqvitur, qvod Oda hæc, a privato qvodam Syncretiſta compoſita, toti Septentrioni aut cuidam ejus parti fuerit articulus fidei, aut lex vel norma credendi, qvod nox naturalis die artificiali a primo inde mundi initio prior fuerit.

§. LXXXIV.

Reliqvæ objectiones hanc theſin ferientes, qvas ubertim adferunt contrariæ ſententiæ fautores, ſtatuentes, Gallos, Germanos, Anglos, aliosqve ſeptentrionis populos antiqvitus diem naturalem a veſpera inchoaſſe, & nocti præ die prærogativam tribuiſſe, deſumtæ ſunt ex Conciliorum Canonibus, ſynodorum Conſtitutionibus, Paparum Bullis, Epiſcoporum edictis aliisqve ejusdem farinæ Judaicarum conſvetudinum ineptis imitatoribus, unde iterum derivatæ ſunt, qvæ hujusmodi occurrunt in *Lege Salica Ripuariorum, Longobardorum*, ut & *Capitularibus* Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii, & aliis ejusmodi monumentis, qvæ tamen nihil hac de re certi aut concludunt aut ſtatuunt, nihilqve dicunt, niſi qvod ſacræ feſtivitates a veſpera ſint inchoandæ, & qvod antiqvo more, his aliisqve gentibus recepto, noctium ſed non dierum numero utuntur, ad vitandam ambiguitatem, ex dierum numero timendam, qvod argumentum

L 2 qvanti

qvanti ſit ponderis, paulo inferius luculenter indicabimus; hic autem qvaſi in παρόδῳ, ut Lectoris eadem cognoſcendi deſiderio aliqvatenus ſatisfaciamus, unum duntaxat, loco omnium, qvod præ reliqvis ut apodicticum & maxime claſſicum teſtimonium ab *Hoffmanno* in *Continuat. Lexic. Univ.* ſub voce *nox* allegatur, ex *Charta* Caroli Magni, pro Monaſterio Dionyſii apud Dublinum, hoc modo loqvens, exſcribere non gravabimur:

„ *Qvi vero contra præcepta anteriorum*
„ *Regum vel noſtra aliqvid facere vel con-*
„ *traire voluerit, hunc miſſus noſter vel Co-*
„ *mitis ſuper noctes* 21. *ante nos per Ban-*
„ *num noſtrum venire faciat, in rationes*
„ *contra Miſſos Sti Dionyſii & Folkradi*
„ *Abbatis;* „ Qvod qvid dicat, niſi qvod 21. noctes pro 21. hemeronychtiis habet, non videmus; qvid autem ſibi velit hic loqvendi modus, in Islandorum hac de re conſvetudinum ventilatione explicabimus; tanta enim validorum argumentorum egeſtate laborant contrariæ ſententiæ patroni, non modo noſtrates magno numero, ſed etiam exotici viri qvidam doctiſſimi, ut *Wormius*, *Hoffmannus*, *Tychonius* & forte plures, ut eas etiam non modo in ſubſidium vocare, ſed ut phalangem Macedonicam adverſariis opponere neceſſum duxerint. Hæc autem hic tetigimus, ne tam multa eorum argumenta prorſus intacta & ne nominata qvidem

dem ob penuriam reſponſionis callido ſilentio præteriiſſe, merito inſimulari poſſemus.

SECTIO Vta.

§. LXXXV.

Poſtulat tandem: 1) Amor patriæ noſtræ, 2) Honor priſtinæ reipublicæ Islandicæ, qvæ 290 annis ita floruit, ut nemini ſubjecta ſuis legibus viveret, a vicinis Regibus, Dynaſtis & accolis ut libera reſpublica & natio amica culta ac æſtimata. 3) Debitum ac meritum, ut illius, tanqvam antiqvitatum ſeptentrionalium conſervatricis, cujus ex rivulis proxima regna ſeptentrionalia ſua irrigarunt arva, hiſtorica mentio aliqva fiat, ex ejus enim priſcis conſvetudinibus, qvas ut plurimum ex Norvegia in *Islandiam* translatas diu conſervavit, ſaltim de Norvegorum antiqvo more diem inchoandi, & ejus partes præcipuas diſponendi aliqvid documenti capi poſſe, vero non eſt disſimile; ſed cum hic non ſit omnium rerum, reqviſitorum ac circumſtantiarum eadem ratio, caute ac diſtincte procedendum erit, ut veritas tandem eo clarius cognoſcatur; nam qvod hic de uno licet affirmare, id de altero, licet ſimile videatur, negari debet. Cumqve duas habeat hæc qvæſtio partes, qvarum prima eſt, num Islandi unqvam noctes pro

integris diebus naturalibus numeraverint; posterior vero, an ideo etiam diem a vespera & noctis initio inchoaverint: ad utramqve qvidem sed singulas separatim respondebimus.

§. LXXXVI.

Ad primam qvæstionem, utrum primi Islandiæ occupatores, ut & eorum successores in multas generationes, noctes solum pro integro hemeronychtio numeraverint? Affirmate qvidem respondetur, ita tamen ut illa affirmatio non ad omnia extendenda sit, sed tantum ad certas rerum species, idqve ita, ut raro aut nunqvam ultra 14 extenderint, si autem de pluribus sermo esset, numerus plerumqve per dies, septimanas, & menses exprimebatur; *Noctium* autem numero utebantur.

1) *In rebus juridicis & forensibus*, ita ut dicam scribentes, aut conventum indicentes dicerent, *At siö* vel *siortan natta fresle* ɔ: *post 7 vel 14 noctes*, non qvod noctem hoc modo diei præferrent, sed ad vitandas technas & ambiguitatem, qvæ per numerationem tot dierum inferri potuit, cum altera pars utrumqve diem, & qvo dica scribebatur, & qvi reo dicebatur, altera autem aut neutrum, aut alterum numeraret, qvas technas noctium numeratio prorsus sustulit.

2) *In Oeconomicis*, cum de cibatu pauperum ageretur, qvos 3 vel plures vilioris fortunæ coloni per semestre aut integrum annum sustentare deberent, ut & aliis, ubi accurata temporis divisione opus erat, tempora per noctes dinumerabantur, sed non per dies, ut sciret qvisqve, qvamdiu sustentare egenum deberet; coenam enim primo vespere, & jentaculum ultimo mane cuivis horum præbere debuit. Conf. Cod. L. L. *Jonsbok* tit. de sustent. pauper. Cap. 12.

3) *Viatores* & præsertim *ignoti rationem reddere rogabantur*, ubi *proxime pernoctassent*, qvot *noctes in itinere*, & *qvot qvovis loco permansissent*, ut inde colligi posset, an homines frugis, ingenui ac liberi essent, an vero errones & fugitivi, qvos in domum recipere legibus prohibitum ac perniciosum erat.

4) Seqvioribus seculis *Ecclesiastici tempora inter festa per noctium*, non vero dierum *numerum metiebantur*, & præter consvetudinem veteriorum hunc morem ultra 14 dies extendebant, idqve magis ad evitandam ambiguitatem, qvam stabiliendam noctis præ die prærogativam. Ubi autem scrupulosa dierum observatione opus non fuit, aliis temporis metis, ut integris mensibus & septimanis, sed non noctium numero utebantur, ut mox probabimus.

§. LXXXVII.

Qvod hæc computatio per noctes non fuerit generalis norma, ſecundum qvam longiores Periodos conſtituebant, aut ubi minutisſima temporis notione opus non fuit, vel aliæ notæ exſtabant, patet ex computo anni, publica autoritate in generalibus Comitiis circa medium ſeculi 10 concinnato, in qvo non noctes ſed dies numerantur. Ita enim hac de re ſcribit auctor antiqvisſimus *Arius Polyhiſtor*, qvi nobis aureolum illud plebiſcitum conſervavit. " Þat " vas oc þá ener ſpöcoſto menn í Landi her " höfþo talit í tveim Miſſerom fiora daga ens " feorda hundrads, þat verda vicor tvær ens " fetta tegar, enn manudir XII. þritugnættir oc " dagar IV. umbfram„ ɔ: *Sapientisſimi hujus regionis incolæ, id temporis in binis ſemeſtribus numeraverunt* 4 *dies ſupra trecentos*, (id eſt 364, utitur enim auctor centuria majori, 12 Decades pro centum numerans) *qvi faciunt* 52 *ſeptimanas*, & 4 *dies*. Et paulopoſt. " Enn þat kunne " engi ſegea þeim, at dege einom var fleira í " tveim Miſſerom„ ɔ: *ſed nemo illos docere potuit, qvod duo ſemeſtria* (ɔ: integer annus), *reqvirant unum diem ſupra integras ſeptimanas*. Et deinceps. " Oc verda þá í hvoriu ari V. " dagar ens feorda hundrads. „ ɔ: *Tumqve* 365 *dies annum faciunt*. Hæc *Arius*, qvi ſemper *dies* ſed non *noctes* numerat. Antiqvisſimus

Legum

Legum Codex *Gragás* numerat 4. 5. 6. *vicor* ante hyemem vel æstatem aut aliud tempus; *Sturlunga-S.* Lib. V. Cap. 38. " Laugardaginn " í Siöttu viku Sumars. „ Lib. VI. Cap. 26. " Fimtu viku Sumars. „ ɔ: *qvintam & sextam æstatis septimanam* nominat. *Vigaglums-S.* Cap. 24. 25. " at fimm vikum. „ *Niála* Cap. 60. " at atta vikum. „ Sic *Niála, Thorgilsi Orrabeini Alumni Vita*, aliæqve historiæ passim nominant " mánud, halfann mánud oc viko. „ Et inter alias *Thordar Hrædo-S.* " Þeir voro manud " í hafi. „ ɔ: *navigatio mensem duravit.* Hinc tam in antiqvis legibus qvam historiis *Einmanudur, Tvimanudur* &c. qvandoqve etiam hemeronychtii vocula adhibetur, ut in *Viglundar-S.* " Þeir voru í hafi hálft annad hundrad dægra. „ *Navigatio duravit sesqvicentum hemeronyctia.* Et in *Landn. S.* " So margra dægra Sigling. „ ɔ: *tot hemeronychtiorum navigatio* sæpius nominatur. Plura adducere exempla supersedemus, cum hæc sufficere videantur ad probandum, qvod antiqvi Islandiæ coloni temporum dimensionem per numerationem noctium in illis tantum rebus adhibuerint, ubi singulares causæ id exigebant; sed ubi illæ cessabant, non noctium sed dierum & hemeronychtiorum mensura usos fuisse, qva etiam methodo Episcopos, Monachos, reliqvum Clerum, summos noctis præ die prærogativæ patronos ac tutores, noctium numero usos fuisse, tantum ad evitandum errorem & abusum

 festo-

festorum, sed non ad probandam noctis prærogativam, ut sæpius diximus, & in seqventibus probabitur.

§. LXXXVIII.

Hujus rei testes omni exceptione majores sunt Episcopi *Thorlakus* & *Ketillus* in *Juris Eccl. antiqv.* c. 15. ut & *Arnas Thorlaci* in *Jur. Recent.* cap. 25. ubi non dies, sed noctes inter festa majorum more numerant, idqve plus tricies iterant, semper eodem modo, non ut noctis præ die prærogativam stabiliant, sed ad evitandam ambiguitatem ex dierum numero proventuram, qvod, brevitati studentes, uno aut altero tantum exemplo inde excerpto demonstrabimus; scribunt illi, inter *Festum Thorlaci*, incidens in 20 Julii, *& festum Jacobi* 25 Julii, esse 5 *noctes*. Si jam noctem 25 Julii præcedentem huic diei adscribis, ut ejus priorem partem naturalem, eoqve die noctis præ die prærogativam adstruere velis, ita ut festum Jacobi ab hora 6 aut 9 vespert. d. 24 inceperit, nunqvam 5 noctes inter hæc festa reperies: Similiter inter *festum Brigidæ* d. 1 Febr. & *festum purificationis Mariæ* d. 2 Febr. dicunt esse *unam noctem*, qvæ non exstat, si festum purificationis incepit ab hora 6 d. 1 Febr. Unde patet, Episcopis hanc mentem hic non fuisse; sed cum nihilominus una nox sit inter 1 & 2 Febr. & 5 noctes

inter 20 & 25 Julii, nullo ad dies, cujus partes sunt, habito respectu, manifestum est, antiqvos noctium numerationem usurpasse, non ad indicandam noctis præ die prærogativam, sed ad evitandam confusionem, & mentem suam de festorum distantia ac aliorum temporum accurata computatione explicandam, qvem noctium numerum inter festa ab una nocte aliqvando ad 37 extendunt, sed in aliis rebus communi per menses & septimanas numerandi ratione utuntur. Conf. *jus Eccl.* Cap. 15. « Eindagi á fenu er « Fimtudagur, þá IV. vikur eru af sumri. „ ɔ: *Terminus solutionis est dies Jovis, cum 4 æstatis hebdomadæ effluxerunt.* Et cap. 29. « Þessar « tidir liggia oc þar til, þriár vikur fyrer Jol, « oc tvær um Jol, siö um Langaföstu, Paska « vika &c. „ ɔ: *Hæc tempora huc spectant, tres septimanæ ante festum nativitatis, binæ in ipso festo, 7 in jejunio, hebdoma Paschalis &c.* Cumqve hæc ab Episcopis adhibita tempora numerandi ac metiendi ratio alio modo explicari neqveat, qvid vetat, qvin tam antiqviorum, qvam recentiorum & simpliciorum seculorum methodum, qvam hic imitarunt Episcopi, eodem modo explicemus, præsertim cum hæc nec ullam contradictionem aut difficultatem adferat, nec ulla alia hanc methodum explicandi exstet ratio, hæc etiam sponte ex ipsa rerum natura fluere videatur.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Altera hujus qvæstionis pars est, utrum antiqvisſimi Islandiæ habitatores ideo noctes pro integris hemeronychtiis numeraverint, qvod putaverint, noctem die priorem fuisse, ita ut naturaliter præcedere deberet? Qvam antiqvisſimarum legum, constitutionum, & optimæ notæ historicorum fide rectisſime negari debere putamus. Argumentorum autem, qvorum fide id facere audemus, primum & antiqvisſimum est.

Primus Islandorum publicus & antiqvisſimus *Legum Codex*, dictus primo *Ulflióts-Lög*, sed subseqvente tempore ad Christiana sacra accommodatus *Gragas* vocatus, qvem Codicem Islandi ab anno 930 ad 1270 per annos plus minus 340 pro lege obligante unanimiter agnoverunt, hac de re se ita exprimit. « Dagur skal « fyrr koma alls Missereskiptis enn Nótt. „ ɔ: *dies in omni semestrium computatione prior erit qvam nox.* De qvo legis dictamine nobis hæc tria sunt demonstranda.

α) Qvid vocula *Mitzeri* significet?

β) Qvod hæc lex sit authentica, & non adulterina.

γ) Et non cum Christianismo abrogata.

Qvod itaqve primum Comma attinet, vocula *mitzéri* vi vocis notat medium annum, sed in communi loqvela semestre tempus. Sæpius in Plurali *tvö misſiri*, aut *þau misſiri* in Cod. L. L.

Jons-

Jonsbók occurrit, & notant integrum annumo; ita ut annus dividatur in duo *mitzeri* seu semestria, qvodvis autem semestre primo in duo trimestria, qvæ qvatuor anni partes, ver, æstatem, autumnum & hyemem efficiunt, trimestria autem in tres menses, *þrímanud*, qvi est tertius a fine sui trimestris, *tvimanud*, qvi est secundus talis, & *einmanud*, qvi talium primus, qvorum qvisqve suas habet septimanas, & illæ dies, qvi sunt hujus computus minutissima pars. Et hic fuit in Islandia communissimus temporis computus, qvi in præsenti sententia vocatur *mitzeris skipti*: a singulis itaqve his partibus pro re nata, & ut poscit necessitas, hic computus inchoari potest, ibiqve ejus terminus poni, ubi libet, aut necessitas cessat, ut ulterius continuetur; in omni hoc computo, qvandocunqve aut incipit aut definit, lex hæc jubet, ut dies semper nocti præferatur, id est ut cujuscunqve diei naturalis & civilis initium a primo mane in causis juridicis & civilibus computetur. Ecclesiasticorum autem & cæremonialium alia fuit ratio, ut hæc lex ideo ad eas extendi non debuerit.

§. XC.

Genuinam autem & non suppositítiam hanc legem esse, probatur.

1) Omnium, qvæ exstant hujus Codicis melioris notæ, exemplorum fide, qvæ omnia adulte-

adulterata esse dici non possunt, cum id omnino sit impossibile.

2) Qvia lex ei fere æqvalis, qvæ anno 1123 ab Islandis recepta fuit, & simul cum *Gragas* annis 190 in usu fuit, *jus* scil. *Eccl. Thorlako-Ketillianum*, sec. Edit. Havn. 1776, Cap. 45. eandem habet Periocham, de qva nostra est sententia, qvod, licet eam genuinæ veritatis & probatæ auctoritatis esse agnoscamus, ab ipsis tamen Episcopis huic operi insertam esse non putem, sed a recentiore manu additam, & ex *Gragas* illuc translatam, pariter ac omnia alia, qvæ post Cap. 35. ibidem leguntur. Tantum tamen abest, ut id ejus auctoritati aliqvid deroget, ut eandem potius stabiliat, cum in *Codice Pergameno*, scripto ante medium seculi 14 reperiatur, inde enim patet, eam tunc tanti æstimatam fuisse, ut inter constitutiones, vim legis habentes, collocaretur.

3) Tertium de hujus Pericopes authentia testimonium fert antiqvus Codex dictus *Bokar Bot* (teste Doctiss. *Paulo Widalino*, nobis enim eundem Librum videre non contigit) qvi eam sic adfert. « Dagur skal fyrr koma enn Nótt « alls mitzerestals Islendsks. „ Qvod eodem fere recidit, nisi qvod vocula *Islendsks* cum excitare potest scrupulum, qvod renovatio hujus legis tum temporis facta & opposita fuisse videatur innovatoribus qvibusdam, qvi contrarium aliqvod introducere allaborarunt, qvod apprime

qvadrat

qvadrat in Monachos seculi 13 & 14, qvi noctem diei præferre voluerunt. Cumqve hanc Periocham tot codicibus juridicis inscriptam fuisse constet, manifestum est, eam non suppositiriam esse, sed genuinum antiqvitatis monumentum.

§. XCI.

Objiciunt hic contrariæ sententiæ fautores, abrogatam esse antiqvam hanc & humanam legem, sub gentilismo latam, per alias divinas leges multo recentiores, a magistratibus Christianis, Sancto nempe Olavo Norvegiæ Rege Anno 1019 & Episcopis *Thorlako* & *Ketillo* jussu *Adzeri* Archiepiscopi 1123 promulgatas, & publice receptas, concorditer jubentes, *ut qvivis dies festus a pridiana hora 3 pomerid. inchoetur*, qvæ multo majorem habeant auctoritatem, cum sint divinæ, hæc autem humana, sæpius enim publice conclusum esse, ut leges humanæ semper & ubiqve cedant divinis.

Qvibus respondetur. Vera hæc esse, si leges divinæ & humanæ contraria statuunt & jubent, qvæ simul consistere neqveunt; sed de diversis rebus licet diversa & contraria statuant, præsertim cum illa contradictio non sit realis, sed apparens tantum, ita ut utraqve lex satis commode consistere possit, & destinatum edere effectum, humana lex non statim refigenda, ut hic fuit;

nam

nam divina illa lex agit tantum de Cæremoniis ſacris, & ceſſatione a conſvetis laboribus, pridiano veſpere inchoanda, qvod diei naturalis conſvetum initium nullo modo lædit; ſed lex humana agit tantum de diei naturalis initio, a primo mane inchoando, qvod legem Cæremonialem nihil tangit, de qvo plus ſimplici vice inſtituta examina optime teſtantur; nam cum Olaus Craſſus circa annum 1019 ſuum Jus Eccleſiaſticum Islandis obtruderet, in qvo hic articulus non inter ultimos fuit, ut feſtivitates ſacræ ab hora 3 pomerid. inchoarentur, mandavit ille ſimul aut conſuluit, ut omnia, qvæ in antiqvis legibus his contraria exſtarent, eliminarentur, qvod viri ſui ſeculi celeberrimi, *Skaptius Thoroddi*, Islandorum Nomophylax, juris peritisſimus, & *Hialtius Skeggonis*, vir ſapientisſimus, circa annum 1020 feciſſe perhibentur. Deinde circa annum 1054 facta & in leges relata eſt hæc conſtitutio, ut *leges humanæ* ɔ: politicæ *ſemper & ubique cederent divinis* ɔ: Eccleſiaſticis, cum ſimul utræqve conſiſtere non poſſent, qvod plebiſcitum ſæpius ad qvamvis legum reformationem aut innovationem repetitum fuit: ejus itaqve vi & auctoritate Anno 1117 per Bergthorum Nomophylacem & delegatos viros qvosdam ſapientisſimos, nova inſtituta fuit legum reformatio, cujus in *Schedis Arianis* mentio injicitur. Tandem in leges relato Codice *Juris Eccleſiaſtici Thorlako-Ketilliano*, horum Præſulum auctoritate nova a *Gudmundo* Nomophylace, & utrius-

utriusqve ordinis ad id denominatis viris sapientissimis instituta est antiqvi legum Codicis reformatio, cujus idem ac priorum scopus fuit, ut omnia, qvæ in antiqvis legibus humanis reperirentur, cum divinis legibus pugnantia, prorsus inde ejicerentur, qvod circa aut paulo ante annum 1130 factum esse perhibetur, ex qva reformatione natus esse videtur antiqvus legum Codex, communiter *Grágas* vocatus, qvalis nunc est, & ad nos pervenit, in qvo hic articulus adhuc legitur, " Dagur skal fyrr koma enn Nótt " alls Misseres skiptis,, ita ut omnia hæc examina illæsus pertulerit. Unde argumentamur: qvicunqve antiqvissimarum legum humanarum articulus severissima examina ac reformationes instinctu Episcoporum & Cleri, illisqve si non Præsidibus, certe operis inspectores agentibus, hunc in finem factas, ut omne id ex illis expungeretur, qvod legi divinæ ullo modo adversabatur, sub præsidio juris consultissimorum Nomophylacum *Skaptii Thoroddidæ*, *Bergthori Rafnidæ*, & *Gudmundi Thorgeiridæ*, adscitis ex utroqve ordine viris lectissimis, ita pertulit & superavit, ut ex antiqvo legum Codice non expunctus fuerit, sed post exantlata hæc examina perinde ac ante suam sedem ibi retinuit, & vim legis habuit, ille nihil legibus divinis (ɔ: Ecclesiasticis), contrarium continuit, sed cum illis apprime conciliari potuit: atqvi articulus ille de diei præ nocte prærogativa in omni tem-

 porum

porum computatione ita; ergo &c. Ipsa propositio probatur unanimi historicorum & annalium consensu, sed subsumtio experientia, qvam nemo negare potest, cum ille articulus adhuc in Codicibus Gragasianis supersit. Unde liqvido constat, leges illas Ecclesiasticas nihil primo intendisse nisi festivitatum a pridiana vespera inchoationem, cum lex civilis de vero & naturali cujusvis diei initio statuerit, qvod illa non tetigit.

§. XCII.

Alterum, nostram sententiam probans, argumentum dant nobilissimi historiarum conditores, qvi seculis 13 & 14 sua concinnarunt opera, in qvibus, cum de talibus scribendi occasio se offerret, plerumqve simpliciter cum vulgo loqventes, animi sensa proferunt, unde differenter valde pro rerum & temporum varietate de hac re verba faciunt; cujus causæ & rationes scitu tam necessariæ sunt, ut absqve illarum observatione recte intelligi neqveant, unde eas in antecessum & imo in loco producere necessum ducimus, ut qvævis fere gnoma ex historicis a nobis adducenda ad propriam sibi regulam reduci, & ex ea dijudicari qveat

1) Viri politici ordinis nulla superstitione infecti, nulloqve ducti partium studio, plerumqve de rebus mere politicis scribentes, inaffectate,

ctate; & prout vulgus communiter loqvebatur & sentivit, diem nocti simpliciter præferunt, ut fit §. XCIII. sq.

2) Qvando tales auctores de gentilium festis, commissationibus, solennibus sacrificiis, & talibus scribunt: " hit fyrsta Kvölld veitslunnar,, non ita accipiendum est, acsi noctis prærogativam indicare velint, sed qvia hospites, sub vesperam advenientes, laute statim excipiendi sunt.

3) Viri Ecclesiastici & alii, cleri placita adulantes, accedente ratione qvadam cæremoniali & ecclesiastica, cum de sui temporis festis, sabbatis & vigiliis aliqvid notandum esset, plerumqve ambigue loqvuntur " *Drottensnótt* ,, hujus vel illius sancti *vöku, vökudag* & id genus alia,, cujus causa non est noctis præ die prærogativa, sed qvod præceptum de sabbati sanctificatione apud veteres summæ necessitatis habebatur, qvam non a solis occasu ut Judæi, sed ab hora pomerid. 3 inchoabant, ideoqve de rebus, ad dies festos & cæremonias Ecclesiasticas pertinentibus, qvandoqve ita stylum dirigunt, ut noctem diei præferre videantur, summum enim periculum imo piaculum fuit, ab Ecclesiasticorum more & placitis vel latum ungvem in hac re secedere. Alii contra de rebus mere civilibus & Oeconomicis, nullam ad Cæremonias Ecclesiasticas respectum habentibus, antiqvo popularium more loqventes diem nocti prætulerunt, ut ex dicendis patebit; qvæ regulæ in hujus

M 2 ætatis

ætatis scriptorum explicatione necessario observandæ sunt.

4) In legibus tam politicis qvam ecclesiasticis noctes qvidem numerantur, ad indicandum, qvanto intervallo festa & alia tempora ab invicem distant, & ad devitandam ambiguitatem, sed non ad probandam noctis præ die prærogativam, ut ex §. CII. constat.

5) Hic semel monendum est, eos, qvi noctis præ die prærogativam statuunt, eandemqve ex sola noctium numeratione concludere volunt, sive illa in antiqvis legibus, sive historicis aut alibi occurrat, necessario sub noctis nomine integrum nychtemeron intelligere tenentur, cum nox nominata, ut prior & potior hemeronychtii pars, diem ducat, & is in illius nomine includi debeat, alias enim, seu si dies excluditur, ita ut nullam cum nocte conjunctionem aut relationem habeat, tota eorum argumentorum vis penitus perit, nam ex solo noctis nomine, nullo ad diem habito respectu, nihil de harum partium prærogativa concludi potest. Omnes itaqve veterum sententiæ & dicta, qvæ ad probandam suam thesin adducunt, ita se habere debent, ut integrum hemeronychtion in cujusvis noctis nomine involutum sit, & inveniri qveat, alias enim claudicant & nihil probant.

6) De omnibus hisce & aliis obscurioribus loqvendi modis id notandum est, qvod non semper id significent, qvod primo aspectu notare

tare videntur; qvare semper cum omnibus suis circumstantiis expendenda sunt, cum parallelis conferenda, & non ex æqve obscuris, sed clarioribus locis explicanda sunt, nec ultra extendenda qvam ipsa verba, materiæ qvalitas, rerum circumstantiæ, & auctoris scopus permittit; qvæ regulæ & rationes in antiqvorum scriptorum lectione & explicatione necessario observandæ & adhibendæ sunt, hic autem necessario monendæ & lectoribus in memoriam revocandæ videbantur, cum ad earum ductum & amussim antiqvorum auctorum loca, ab utraqve parte producenda, dijudicari debeant.

§. XCIII.

Primum itaqve ex nostra parte producimus testem, Historicorum Coryphæum, *Snorronem Sturlæum*, de hac re ita scribentem: "Fyrsta "dag veitslunnar, ádur Sveirn Kongur stigi í "hásæti sitt, streingdi hann heit — — Jóms-"víkinga höfdingium var skeinkt hin stærstu "horn, oc hin sterkasti dryckur er þar var." : *Primo convivii die Rex Svenus votum nuncupavit, anteqvam solium ascendit. — — Jomsvikensium principibus maxima cornua potusqve fortissimus, cujus tum copia fuit, oblata fuerunt.* Qvod *Jomsvikinga-Saga* de Celeberrimo convivio, qvod instituerunt Sveno Daniæ Rex, Sigvalldus Jomsvikensium Dux, & Bui Crassus,

 cum

cum hæreditates, sibi a patribus Haraldo Rege, Strutharaldo Comite, & Veseto Bui patre relictas, adirent, verba faciens, ita effert. " þeir " drecka ákaflega Jomsvikingar, oc hit fyrsta " kvölld fær á þá miög. " ɔ: *Avide biberunt Jomenses, ita ut prima vespera valde inebriarentur.* Idem ergo ambo dicunt, nisi qvod *Snorro* diem nominans, pro vespere & nocte, qva vota facta sunt, tacite indicat, vesperam & noctem hanc fuisse partes præteriti, non vero subseqventis diei: hinc etiam paulopost, cum convivium in multam noctem protractum esset, omnesqve melioris notæ hospites vota nuncupassent, addit *Snorro.* " drucku menn þann " dag erfit.. " ɔ: *illum diem* (cum magna noctis parte) *parentationi insumserunt*, qvibus verbis denuo mentem suam clarius aperit, noctem ad priorem, non vero posteriorem diem pertinuisse, mox enim seqvens caput a proximi diei historia orditur, dicens: " at morgni þá tekit " var til dryckiu. " ɔ: *crastino mane vel altero die, cum ad potandum congregarentur.*

§. XCIV.

Alter, qvem hic nuncupamus, testis sit notissimæ eruditionis vir *Sturla Thordi*, qvi expressis verbis, qvid sibi hac de re mentis sit, clare docet, *Sturlunga-Sagæ* Lib. VII. Cap. 41. de pugna inter Brandum Kolbeini & Thordum

Kakali

Kakali, die Jovis commissa, ita loqvens, "hann "var á Saudafelli Midvikunóttina er þeir börduſt "Fimtudaginn efter." i: *Saudafelli noctem diei Mercurii egit; cum postridie die Jovis pugnarent*; qvo qvid clarius dici posſit, non video, cum auctor, dies Mercurii & Jovis nominans, expreſſe præcedenti, non ſubſeqventi diei noctem intermediam tribuit, vocans eam *Midvikunótt*, non vero *Fimtunótt*, qvod omnino facere debuiſſet, ſi putaſſet, nocti præ die prærogativam competere. Simili plane modo idem auctor mentem ſuam prodit Lib. IX. Cap. 8. hoc modo ſcribens. "Giſſur reid med Flock "ſinn yfir yxnadalsheidi Laugarnóttina fyrer "Pálsmeſſu, enn hún var Sunnudaginn efter.", i: *Giſſurus cum ſua cohorte tesqva Oxnadalenſia tranſiit nocte Saturni ante feſtum converſionis Pauli; qvod in ſeqventem diem dominicam incidit.* Moxqve qvid eadem nocte & ſeqventi die feſto geſſerit, perſeqvitur; ſcil. qvod paulopoſt concubium Backam venerit, & herum ipſum Jonam de Backa occiderit; hinc Einarem de yxnahóli letho dederit. Unde Modruvallas usqve progreſſus, ibidem & in vicinia qvosdam incendiarios occiderit, ſed illuceſcente die ipſius feſti, Modruvallis diſcedens, in Ejafiordum recta Hrafnagilum & inde Modruvallas tetenderit, ubi Kolbeinum Groni vita privavit. Illum autem 25. Januarii ſeu ipſo Converſionis Pauli feſto occiſum fuiſſe, præter hunc locum teſtatur

 Ne-

Necrologium Hist. Eccl. Isl. Tom. I. affixum: hic autem hæc gesta tam graphice depingere ac accurate persequi visum est, ut ex concordantia temporis & locorum manifeste perspiceretur, Sturlam hic noctem, qvæ diem Saturni seqvebatur, ipsi, sed non subseqventi diei solis tribuere, unde seqvitur, eundem esse sensum tam proxime allati exempli, qvam aliorum, ubi auctores eodem modo verba faciunt.

§. XCV.

Et ne qvis putet, auctori hæc incogitanter & incaute ex calamo fluxisse, adjiciamus tertium locum ejusdem Codicis Lib. IX. Cap. 2. sat superqve testantem, eundem hæc & alia ejusmodi scientem & volentem scripsisse; ibidem enim historiam incendii Flugumirensis texens, postqvam retulerat, Asgrimum Thorsteini die Saturni Videmiri in Toparchia Skagafiordensi Rafnum Oddi convenisse, eiqve indicasse, fratrem suum Ejolfum statim post nuptias Gissurum ex improviso ferro flammisqve adoriri, & cum universa familia exstingvere constituisse, Asgrimumqve mox iter ad Ejolfum, Modruvallis in Ejafiord sedentem, persecutum fuisse, qvo non pervenire potuit, per 12 aut 13 milliaria tempore brumali priusqvam sub noctem d. solis. Cap. 3. dicit, Ejolfum *die Lunæ* copias collegisse, & inter alios Hranum Codrani, in

Flateja intra Toparchiam Thingejensem agentem, vocasse, qvi sub vesperam die lunæ nuncium accipiens, se cum suis itineri statim accinxit, de qvo *Sturla* hoc modo loqvitur: "hann fór "ur Flatey ádra nótt vikunnar, hann kom á "Mödruvelli í dagan, og þeir fio samann —— "þeir ridu þridiudaginn, þar til þeir komu til "yxnadals heidar." ɔ: *Hranus secunda hebdomæ nocte ex Flateya discessit, sed Modruvallas illucescente die pervenerunt — - Die Martis ad tesqva Oxnadalensia iter instituerunt.* Ubi nox, diem lunæ subseqvens, expresse dicitur secunda nox hebdomæ, ideoqve non ad diem tertium, sed diem lunæ pertinens, is enim est secundus septimanæ dies; prima itaqve septimanæ nox diem solis seqvitur, sed non præcedit, secunda secundum, tertia tertium, & sic de cæteris.

Eodem modo dierum numerationem perseqvitur *Sturla* Cap. 2. de Thorleifo Hreimo verba faciens, "Þórleifur reid burt þridiudaginn, enn Isleifur var ei buenn hid þridia "kvölldid." Ubi vesper die Martis, eadem de causa vocatur *tertia hebdomæ vespera*, ac ipse dies vocatur tertia dies, & conseqventer tertia hæc vespera cum subseqvente nocte, cujus pars fuit, ad priorem, non vero posteriorem diem pertinuit. Conf. *Vitam Suerreri Regis* Cap. 87. "Hann for þridiu Nótt viku og kom aptur til "Kongs midvikudaginn." ɔ: *tertia hebdomadis nocte discessit, sed die Mercurii ad Regem rediit.*

§. XCVI.

Pari modo etiam Lib. IX. Cap. 9. verba facit de noctibus, dies Jovis & Veneris subseqventibus; " Rafn reid Skirdagsnótt og Langa-" friadagsnótt um fiöll fyrer ofann bygdir, og " kom at Páskum vestur í Dali. ", i: *Rafnus noctibus Viridium & Soteriorum per montana iter fecit, & sub festum Paschatis in Dalas venit.* Sensus autem est: Rafnus magnopere festinans, & forte sibi a Gissuro male fido, & verbo tantum conciliato, insidias structas timens, ejus provinciam noctibus per montana transiit, die autem Veneris hominum occursus vitans, aut qvievit, aut delituit; sed die Saturni, in suam perveniens provinciam, omnibus palam iter fecit, usqve dum vespere die Saturni, ineunte festivitate Paschatis, domum veniret. Similiter etiam scribit Lib. 7. Cap. 10. " Þórdur reid af " þingvelli Fimtudagenn, — — enn kom til " helgafells Friadagsnótt þá stiarna var í Austri. ", i: *Thordus Thingvallis discessit die Jovis, sed Helgafellum venit nocte die Veneris, cum Plejades in oriente essent:* qvid autem intermedio tempore, die scil. Jovis, eumqve seqvente nocte, & die Veneris egerit, tam minute & clare enumerat, ut hic cum de nocte, diem Veneris subseqvente, loqvi, nullum supersit dubium; cum qvo plane consentit, & apodicticum adfert argumentum Auctor *Vitæ Nialianæ*, scriptor haud

haud contemnendus, vir qvippe antiqvitatum patriarum solidam cognitionem præferens, qvi seculo 14 hoc opus concinnasse videtur, qvod hic observassé magni interest, cum inde cognoscatur, etiam eo tempore hunc cogitandi, scribendi & loqvendi morem viguisse; tam clare enim suam mentem exprimit, ut ne minimæ æqvivocationi aut dubitationi ullus supersit locus, dicit enim Cap. 122, " Faustunótt skylldu " domar urfára.,, i: *nocte die Veneris judicia exercenda fuere.* Sed qvid per *Faustunótt* & ipse intelligat, & alii intelligere debeant, mox exprimit dicens, " Nú kémur at þvi sem domar " skylldu urfara. Faustukvolldit geck allur þing- " heimur til dóma.,, i: *Cumqve tempus judiciorum adesset, vespera die Veneris universa multitudo se ad judicia contulit.* Ubi manifeste vesper, diem Veneris seqvens, & hunc subseqvens nox, non seqventi diei Saturni, sed præterito diei Veneris adscribuntur, noxqve diem seqvi indigitatur.

§. XCVII.

Politicis hisce Triumviris, historicorum facile primis, qvi claris verbis suam dixerunt sententiam, aliam æqve celebrem ecclesiasticorum trigam a latere collocabimus. *Brandum* Sell. Episcopum, *Oddum & Gunnlaugum* Monachos: *Brandum*, de amico suo & affine Gudmundo Dyri

Sturl.

Sturl. Lib. III. Cap. 30. ita loqventem. " Einn " Drottensdag var Gudmundur í kyrkiu og " nóttina med sem vani hans var, þá heirdi " hann ridid ei allfaum hestum yfer ána. „ ɔ: *diem qvandam dominicam Gudmundus in templo peregit, unacum nocte, ut solitus fuit: tunc audivit, non paucos eqvos amnem* (prope fluentem) *pervadere*, unde collegit, adesse hostes, qvorum metu se in templo continuit. Non totus tantum contextus ostendit, auctorem hic loqvi de nocte, diem dominicam seqvente, eamqve pariter ac diem dominicam insignire, sed etiam loca parallela passim obvia idem svadent, ex qvibus hæc verba omnino explicanda sunt, secundum regulam hermeneuticam datam supra §. XCII. n. 3. Et hunc esse hujus loci sensum, omnem nobis adimit dubitationem luculenta totius septimanæ noctium enumeratio & digestio, apud auctores primæ classis occurrens, qvæ noctem seqvi, diem autem præcedere eos putasse, clare docet ex. gr. *önnur nótt viku* seqvitur diem lunæ *Sturlunga-Saga* Lib. IX. Cap. 3. Tertia nox diem Martis ibid. Cap. 3. Qvarta seu *midvikunótt* diem Mercurii. ibid. Lib. IIX. Cap. 11. *Skirdagsnótt og Friadagsnótt* nominat *Sturlunga-Saga* Lib. IX. Cap. 9: noctes, dies hos seqventes, ut ex contextu patet. Sexta seu *Friadagsnótt* diem Veneris seqvitur. Conf. *Niáls-S.* Cap. 122. & *Sturlunga-Saga* plus simplici vice. Septima seu *Laugarnótt* diem Saturni seqvitur.

tur. *Sturlunga-Saga* Lib. IX. Cap. 8. Confr. Lib. 5. Cap. 39. ubi nox, Festum Pentecostes præcedens, expresse vocatur *Laugarnótt*, qvo qvid clarius esse posfit, non video: sed antiqvas hasce noctium a diebus, qvos seqvuntur, denominationes Clerus mutatum ivit, ut paulo inferius docebimus.

§. XCVIII.

Celeberrimum autem Monachorum par, *Oddus & Gunnlaugus*, mentem suam alio modo sed clare produnt; sermones enim de noctu & sub ipsum diluculum latos referentes, præteritam vesperam & præsentem noctem ut priores diei partes respiciunt, sed mox seqvens mane *crastinum* vocant, non *hodiernum*, qvod omnino facere debuissent, si diem naturalem a vespera pridiana, nedum ab hesterna hora 3 inchoassent.

a) *Oddus Monachus* in Vita Olai Triggonis edit. Holm. 1691. pag. 2. ubi inducit Thorsteinem cum Astrida Olai matre paulo ante diluculum ita loqventem. " Þer skulud vera í hól-" menum á morgun, og bídid þar minnar " komu. „ ɔ: *in insula usqve in crastinum vos continete, & meum adventum ibidem exspectate.* Et deinde pag. 74. introducit Finnum qvendam cum Olao Rege intempesta nocte colloqventem, ubi expresse vocat seqventem diem *cras* (á morgun)

morgun) qvod non facere debuit, si dies jam non modo inchoatus, sed dimidiatus fuisset.

b) Idem facit *Gunnlaugus*, Edit. Schalh. licet in aliis multis ab Holmiensi differat, illa enim pag. 218. introducit Finnum hunc, & præter eum duos Regis patrueles vocantes seqventem diem crastinum, & tribuentes proximam vesperam & noctem præterito sed non seqventi diei. Nec non de insidiis Thoreri Klack ita scribit pag. 227. seqv. " Eins dags at kvölldi " komu þeir vid agdanes, —— enn er náttadi, " og menn voru aller sofnader, —— Jósteirn " sagdi: I kvölld er Þórir hafdi spurt af Lan- " di —— ætlar hann á morgun snema at heim- " ta þig á land —— Snema um Morguninn kom " Þórir á skip Olafs. „ i: *Sub vesperam die quodam ad Agdanes appulerunt — Concubia autem nocte cum omnes dormirent, —— Dixit Jostei- nus: cum hoc vespere Thorerus famam vidautem audivisset. —— Consilium cepit te crastino die, in terram evocare —— Mane itaqve alterius diei Thorerus in Olai navem venit.*

Qvibus unum ex multis talibus, qvæ ad manus sunt, addemus loqvendi modum Branæ, dictum ad Halfdanum, cum intempesta nocte in lecto cubantes colloqverentur. " á morgun er " sumardagur fyrsti. „ i: *Crastinum inqvit mane est primus æstatis dies*, in vita *Halfdani Branæ Alumni* Cap. 12. Si enim omnia, qvæ ejusmodi habemus, huc transcriberemus, & longa & tæ-

diosa

diosa fieret hæc farrago; ex talibus autem loqvendi modis, intempesta nocte imo sub ipsum diluculum prolatis, qvi expresse nominant seqventem diem non *hodie* (*i dag*) qvod omnino tacere debuissent, si is jam non modo inchoatus sed dimidiatus fuisset, utpote ab hora 3. prid. initium habens, sed *cras* (*á morgun*), diximus, nec personas colloqventes, nec ipsos historicos noctem, qva hæc gerebantur, pro priore parte seqventis diei, sed pro præteriti posteriore parte agnovisse.

§. XCIX.

Tertii generis testes nobis sunt *Codices Juris Ecclesiastici*, qvi affatim huc pertinentia continent, sed cum contraria pars iisdem etiam ad suæ sententiæ probationem utatur, hic ea adducere supersedemus, cum, qvando ad eorum argumenta ventum erit, examinanda sint. Hic autem meminisse juvat, non de nihilo esse, qvod in nullis legibus antiqvis aut novis, nec in ullis Oeconomicis, civilibus & ecclesiasticis constitutionibus qvicqvam præcepti reperitur, qvod conceptis verbis nocti præ die ullam dat, mandat, aut stabilit prærogativam, cum contra in legibus Ecclesiasticis, & Episcoporum huc pertinentibus scriptis multa occurrant, qvæ, licet primo aspectu videantur tale qvid continere, qvod nocti primas det, sub severius tamen examen

men vocata, & propius inspecta, aut nihil probant, aut qvod contrarium est asserunt, qvorum hic unum tantummodo tangam. In *Codice Thorlako-Ketilliano* Cap. 20. sub gravi pænarum comminatione carnium esus per *totum tempus qvadragesimale prohibetur, sed ipso Paschatis festo, quam primum solis radii in montium cacuminibus conspiciebantur*, permissus fuit, unde paret, noctem, festum Sabbati antecedentem, non huic festo, sed qvadragesimæ adnumeratam fuisse, & conseqventer fuisse posteriorem die Saturni, sed non priorem partem diei solis. Idem Codex Cap. 13. dicit, *qvamvis noctem, qvodvis festum seqventem, pari gaudere sanctitate ac ipsum festum*, qvam sanctitatem, cum a profesto subseqvente die mutuari neqviret, a præcedente eandem habuisse, necesse est, qvod supponit, eam illius, sed non seqventis diei, partem fuisse; præcedens vero festum nox sua qvidem gaudebat sanctitate, sed qvam ut pars essentialis prioris diei, jure vigiliæ, Paraschevis, aut profesti ab ipso festo, cujus hoc tantum nomine pars æstimata fuit, mutuabat. De festis & noctium numero inter ea incidentium, qvæ in *Codice Thorlaciano* Cap. 15. & *Arnæano* Cap. 25. occurrunt, §. LXXXVIII. aliqvid actum est, & demonstratum, qvod ibidem non adhibeatur ad probandam noctis prærogativam, sed tantum ad vitandam ambiguitatem, & verum festorum tempus determinandum.

§. C.

§. C.

Haud contemnendum argumentum dant etiam ipsæ illæ antiqvissimarum legum formulæ loqvendi, qvibus ad impugnandam hanc thesin utuntur contrariæ sententiæ fautores. " siö, fiórtan nóttum fyrer vetur, fyrer sumar, fyrer Fardaga, fyrer þing " &c. o: *7 vel 14 noctibus ante hyemem, æstatem, tempus mutandi habitacula* &c. Si enim in his nox diem anteit, & proxima nox ad *vetur, Sumar, Fardaga, þing,* ut eorum initium pertinet, sed non inter nudius tertius & pridie *Fardaga, vetur, Sumar,* ultima est in numero illo 7 vel 14 noctium, tunc pridie omnino vacuus, & superfluus, qvod valde est absurdum. Si vero secus se res habet, scil. qvod proxima nox ante hyemem, æstatem, ultima est ex numero 7 vel 14 noctium, tunc qvod nox diem seqvatur, fatendum est, qvod etiam in hoc casu verissimum. Et qvocunqve tandem te vertis, certe nunqvam ex his loqvendi modis *at þriggia* vel *siö natta fresti* o: *post 3 aut 7 noctes*, vel etiam *3 aut 7 noctibus ante hunc vel illum diem*, apodictice probabis, antiqvos noctem diei prætulisse, idem enim notat, ac si dixeris; *exactis 3 vel 7 abhinc hemeronychtiis.*

§. CI.

His, ut fere ad ſuperfluitatem noſtram aſſertionem probemus, unam aut alteram ex permultis, qvas habet antiqviſſimus Legum Codex *Gragas*, pericopis, noctes pro integris hemeronyctiis numerantibus, addere libet, ut ex illis cordatus lector, qvo ſenſu antiqvæ leges noctium numero uſæ ſint, judicare qveat, ſcil. non ut earum præ diebus ſtabiliant prærogativam; (ut ſæpius declaravimus) ſed ad tollendam & evitandam omnem ex dierum numero proventuram ambiguitatem; unde unam ſeptimanam per 7 noctes, & eas iterum per 7 dies naturales exprimit, non a veſpere aut noctu, nec á meridie ſed a matutino tempore oriundos, eadem enim hæcce lex antea ſanciverat, & inter leges propoſuerat, ut dies ante noctem in omni temporum computo numeraretur, ſecundum qvam regulam, ſed non contra eam ipſius verba explicanda eſſe, nemo non videt; qvæ autem hac vice ex innumeris ejus dictis, huc pertinentibus, adferre licet, ſunt ſeqventia. "Ef madur vill "oſka landa ſkiptis, þá ſkal hann fara til hei- "milis þeſſ mans er í móti á, þann fimta dag "viku, þá vika er til ſumars, og ſtefna honum "at hann ſkule heima vera at ſiö nátta freſti.,, ɔ: *qui territorii diviſionem optat, adeat domicilium poſſeſſoris reliqvæ partis die Jovis, cum una hyemis ſeptimana reſtat, eiqve diem ſcribat,*

ut

ut domi suæ sit, elapsis 7 noctibus, ɔ: die Jovis, qvo æstas inchoatur. Et in Cap. de exsecutionibus. " Feránsdomar efter sekann mann " skulu vera þá XIV. nætur eru lidnar frá þín- " ge, er hann var sekur giör. A midvikudag " skulu feránsdomar vera efter vorþing hvört, " því er á midvikudegi var þingid laust. „ ɔ: *Judicium exsecutionis erit* 14 *noctibus, postqvam reus exilio mulctatus fuit. Die Mercurii judicia exsecutionis perficienda sunt, qvæ in foro vernali indicantur, cum die Mercurii forum solutum fuerit.* Item: " Feránsdomur skal vera XIV. " nottum efter vopnatak, enn þatheiter vopna- " tak er alþida manna ridur af þíngi. „ ɔ: *Judicium exsecutionis erit* 14 *noctibus post* vopnatak, *sed* vopnatak *vocatur, cum multitudo ex foro discedit.* Hic perinde ac in *Jure Ecclesiastico* noctes numerantur. α) Inter duos dies Jovis. β) Inter judicium in foro pronuntiatum, & ejus exsecutionem. γ) Inter duos dies Mercurii. δ) Inter *vopnatak* seu fori finem, & judicium exsecutionis. Unde ut puto nemo colligere potest, noctem diei præferendam esse. Simile itaqve hic de similibus ferendum est judicium, præsertim cum eadem lex ibidem, & eodem tempore valeret.

§. CII.

A cujus parte veritas hic ſtet, & qvænam harum hypotheſium probabilior & minus fucata ſit, docebit periochæ cujusdam noctes numerantis, qvam utraqve pars ad ſuæ ſententiæ probationem adducere ſolet, per evidens Schema delineata enodatio, ad hermeneuticam noctis prærogativæ patronorum fundamentalem regulam & hypotheſin inſtituta, qvod qvævis nox, hoc modo in legibus & hiſtoriis nominata & numerata, integrum Nychthemeron ſignificet, & ſeqventem diem ut poſteriorem Nychthemerii partem includat, cum ex contrario ex ſolius noctis nomine per ſe, & nullum ad diem habentis reſpectum aut relationem, nihil de noctis prærogativâ concludi posſit, qvod contraria pars non modo concedit, ſed etiam poſtulat. Periocha autem hoc modo omnium ſibi ſimilium loco hac vice examinanda ſit illa qvam in proximo §. ex *Gragas* adduximus, *ſeptem noctes*, id eſt tot hemeronyctia, inter duos dies Jovis numerans; poſito itaqve, qvod prior dies Jovis in diem 18 poſterior verò in 25 Aprilis inciderit, calculus talis eveniet.

Primum Nychthemeron incepit in veſpera die Jovis, qvi eſt 18 Aprilis.
Secundum d. Veneris 19 Aprilis.
Tertium d. Saturni 20 Aprilis.
Qvartum d. Solis 21 Aprilis.
Qvintum d. Lunæ 22 Aprilis.
Sextum d. Martis 23 Aprilis. du-

duratqve usqve ad vesperam d. Mercurii, qva secundum eorum hypothesin & dies Mercurii & ipsa hyems finem habuit, sed dies Jovis ut & ipsa æstas cum nocte & vespera incipit, ita ut illa nox, qvatenus est ipsius diei Jovis, & seqventis sed non intermedii temporis pars, in hunc censum venire non debeat; sed cum nec legi, qvæ septem noctes, nec ipsi eorum hypothesi, qvæ tot hemeronyctia postulat, qvot noctes reqviruntur, ulla fraus fieri debeat, unum illud, qvod hic deest, hemeronyctium aliunde mutuandum est, aut ab antecedente septimana, ita ut computus 7 hemeronyctiorum a vespera d. Mercurii incipiat 17 Aprilis, aut a seqventi septimana, ut computus hicce in vespera d. Jovis 25 Aprilis desinat, qvorum neutrum cum absurditate non careat, manifestum est, hanc hypothesin imperfectam & mutilam esse, & qvantum tales tricæ & ambages legislatorum menti & intentioni repugnent, qvi noctium numero & hic & alibi usi sunt, ut ambiguitatem evitarent, nemo non videt. Taceo expressa hujus legis verba, jubentis, *ut dies in omni temporum putatione prior sit nocte*; qvibus hæc praxis ex diametro repugnat. Sed ex contrariæ partis hypothesi, nullum ad noctis præ die prærogativam respectum habentis, diemqve a matutino tempore inchoantis, talis evenit computus,

 Primum

Primum ex his 7 hemeronychtiis incipit d. Jovis 18 Aprilis a matutino tempore.
Secundum a mane d. Veneris 19 Aprilis.
Tertium d. Saturni 20 Aprilis.
Qvartum d. Solis 21 Aprilis.
Qvintum d. Lunæ 22 Aprilis.
Sextum d. Martis 23 Aprilis.

Septimum incipit d. Mercurii 24 Aprilis & finem habuit cum hyeme & septima nocte in initio æstatis, qvæ tempore matutino d. Jovis, d. 25 Aprilis incipit, juxta mox allegata legis verba; cumqve hic 7 qvæ reqviruntur noctes, & omnia ad amussim tam cum ipsa lege, qvam regulis hermeneuticis qvadrent, apparet,

α) Hunc computandi modum verum & genuinum esse.

β) Omnes tales Periochas, sive in legibus Ecclesiasticis sive politicis, sive etiam in historiis aut aliis monumentis occurrant, eodem modo explicandas esse, modo nulla singularis ratio obstet.

γ) Nullam in talibus Periochis inveniri sufficientem rationem, qvæ diei prærogativam præ nocte denegct.

δ) Qvod differentia illa, qvam intulerunt Ecclesiastici, non fuerit realis, sed verbalis tantum atqve apparens, ad vigiliarum & profestorum honorem, & stabilimentum excogitata, qvæ superstitiosæ plebi primo indita, paulatim sub religionis larva ad plures transiit. Possem, si tædio-

tædiosam prolixitatem evitare non statuissem, hic multo plura ex antiqvis legibus ac monumentis congerere ex. gr. *Fimtarstefna*, ubi, tam in antiqvis qvam recentioribus legibus Islandicis pariter ac Norvegicis, qvinqve noctium interventus observari jubetur, ibidem autem noctis nomen pro integro hemeronychtio usurpari, in professo est; qvis autem inde colligere potest, nocti præ die prærogativam deberi?

§. CIII.

Licet omnes nostras assertiones antiqvorum auctorum testimoniis abunde probaverimus; jam tamen universam hanc argumentorum seriem claudere libet verbis Auctoris libri celeberrimi *Rimbeglæ*, utpote tam allatorum probationi, qvam accuratiori hujus dogmatis notioni æqve inservientibus, pag. 516. §. 115. sic scribentis, "I sumti telium ver Fimtadag "fystann, og í þeim mánudum svo laungum "sem þeir verda, enn þvottdag efstann, og "nóttena eptir. og skal þat vita hver madur "Kristinn, at sú nótt skal fylgia dege hvörium "at helgihalldi er fyrirfer degenum sialfum." ɔ: *Diem Jovis æstatis initialem putamus, & mensium illorum qvanti sunt trium* (æstivorum); *sed diem saturni cum nocte seqventi finalem, & qvivis Christianus cognoverit, cuilibet festo in celebratione noctem præcedentem conjungendam*

esse. In qvibus imprimis notanda veniunt.

1) Persona loqvens, scil. vir doctus, & patriæ antiqvitatum apprime gnarus, qvi qvod scripsit optime novit; præterea aut ordini Monastico addictus, aut officio qvodam ecclesiastico fungens, cum tali libro, ut est *Rimbegla*, licet suos etiam haud paucos habeat nævos, scribendo pares, præter viros Ecclesiasticos, ea tempestate non facile invenirentur.

2) Materia seu scopus scriptionis, & contentum libri est computus Ecclesiasticus, qvi tum temporis inter summæ necessitatis articulos habebatur, & qvæstio de noctis præ die prærogativa, nec statui Ecclesiastico, nec cuivis Christiano indifferens, ut ipse auctor dicit, unde tantum virum tali libro, in manus vulgi venturo, qvicqvam minus conducibile inseruisse, haudqvaqvam credibile est.

3) Tempus scriptionis fuit seculum XIV. ad finem vergens, ut ex ipsius auctoris verbis colligitur pag. 96. & 322. ubi enumerat Episcopos & Abbates, qvi ad id tempus vixerunt, qvorum ultimus fatis cessit Anno 1390. ea autem tempestate dogma de noctis præ die prærogativa firmas qvidem fixerat radices, sed non ad tantam maturitatem pervenerat, ut seculo 15 nactum est.

4) Qvantum ipsum, de qvo hic agitur, argumentum attinet, dicit, diem Jovis esse æstatis

 initia-

initialem, non vero noctem eum præcedentem, hanc enim excludit, & ut ultimam partem præteritæ hyemis considerat.

5) Idem statuit de seqventibus æstatis mensibus, scil. qvod cum die non vero vespere initium habeant.

6) In hac §. auctor semel; sed §. 113. ter dicit, noctem qvemvis mensem claudere, eandemqve semper ut ultimam cujusvis mensis particulam considerat, nullamqve ei præ die arrogat prærogativam.

7) Ne autem vigiliarum, profestorum & noctium, dies sacros præcedentium, honorem penitus prodat, addit, noctem, qvodvis festum præeuntem, pari sanctitate gaudere ac diem seqventem, ubi probe notandum, qvod nocti parem cum die sanctitatem & celebritatem; sed nullam naturalem prærogativam assignat.

8) Tandem autem innuit, qvanti sit hæc sanctitas pretii ac momenti, scil. qvod cuivis Christiano scitu sit digna & necessaria, & absqve salutis periculo ignorari neqveat.

Hic, ut puto, habemus genuinam hujus articuli ideam, ac veram theoriam, qvæ mentes nostratium circa annum 1400 occupaverat, illisqve firmiter insedit, scil. qvod omnes docti cordatiqve viri, & patriæ legum, ac antiqvi moris amantes, diei adhuc perinde ac eorum majores & atavi, præ nocte naturalem tribuerint Prærogativam, eumqve non a vespera,

nec media nocte, sed a matutino tempore inchoarint, noctesqve a diebus duci putarint, ut ex auctoris verbis patet, noctibus enim, sabbata ordinaria & festa præcedentibus, nullam naturalem prærogativam, sed tantum sanctitatem seqventi diei parem, assignarunt. Hæc tantum de viris doctis, aliisqve, qvorum ex meliore luto finxit præcordia Titan, intelligenda sunt, non autem de universo Monachorum & cleri grege, nec de vulgo novitatum avido, qvi hujus heterodoxiæ horologicæ semina, qvæ statim cum initio seculi 13 spargi coeperunt, avide accipiebat, fovebatqve, in qvorum etiam numero fuerunt superstitiosi qvidam & avari, sed minus docti alienigenæ Episcopi, Islandiæ morum, antiqvitatum, & legum ignari, ut & Abbates, Monachi, aliiqve Clerici, qvorum, ut & stultæ ac impetuosæ plebis metu, boni qvandoqve historici, ne male audirent, loqvendi modis, huc spectantibus, uti consultum duxerunt; ut non semel monuimus; ad tantam autem maturitatem hoc dogma pervenit seculo 15, ut ne unus tantum in Islandia reperiretur, qvi suos majores contrariam qvondam fovisse sententiam sciret, aut credere posset, qvæ opinio ad nostra usqve tempora duravit.

§. CIV.

Sed audita una parte, audienda etiam altera, ejusqve rationes æqva lance perpendendæ, qvæ

qvæ tam varii ſunt generis & argumenti, & fere undiqvaqve conqviſita, ut nec omnia hic enumerari, nec ad certas claſſes referri posſint, nec neceſſum ſit; ſanctе autem ſpondemus, nos nihil, qvod talium innotuit, & alicujus momenti eſſe videtur, omiſſuros fore, ſed bona fide recenſuros, qvalia ſunt.

1) *Eddæ* effatum Fab. 8. §. LXXXI. ubi nox præire, dies ſeqvi videtur, de qvo l. c. noſtram diximus ſententiam, cui, qva Islandos attinet, addi poteſt, qvod Edda nunqvam fuit lex aut regula, ad qvam Islandi ſuas actiones formarent, nec ea qvicqvam de eorum conſtitutionibus continet, ideoqve hic fruſtra allegatur.

2) Omnes cauſæ & caſus §. LXXXVI. enumerati, in qvibus noctes pro toto die ſumuntur, ſed qvantum id argumentum valeat, ex ibidem allatis argumentis diſcerni poteſt.

3) Antiqvum illud Apophthegma *fyrer pridiu ſol*, (ɔ: ex eorum mente) ante ſolis occaſum, cum qvo tertium diem finiri, & qvartum inchoari ſtatuunt, parum ſtringit; nam nullum ad diei naturalis initium aut finem reſpectum habet, ſed eſt tantum terminus legalis, qvi certis rebus & perſonis ponitur, incertumqve penitus, utrum ortus an occaſus ſolis intelligatur, an eadem tertia die ſolis in eodem horizontis puncto ſtatio, perinde ac hodie dicimus intra 24 horas, vel *inden tredie Ætmaal*, ɔ: intra 3 ſolem, vel tertii ſolis in eundem horizontis punctum adventum. 4) An-

4) Antiqva consvetudo, festa & omnes festivitates a pridiana vespera inchoandi, qvod argumentum magnam habet veritatis speciem, sed habet etiam alias causas, cur ita fieret; inter qvas non ultima fuit, qvod multis hospitum & invitatorum longum sæpe iter ad festa & sacrificia faciendum fuit, qvi ut & in tempore adessent, & ad festum ipsum debitò modo se præparare possent, vespere pridiano adfuerunt, talesqve mox convivio excipiendi fuerunt; qvæ primæ vesperæ commissatio vulgo vocabatur *Velkomandi*, id est gratulatio adventus; vide præter multos alios *Sturlunga-Sagam* Lib. IX. Cap. 2. sed festum ipsum, sacrificium, nuptiæ, parentalia, aut principalis solennitas postridie fiebat, ut ex historiis, qvæ talia describunt, satis patet, qvæ consvetudo etiam hodie apud nos in usu est.

5) Constitutio *Landnama-Sagæ* Part. IV. cap. 10. existens, mulieribus in Islandia lares posituris præscripta, ut tantum territorium illis cederet, qvantum ab uno solis occasu ad alterum bimulam vaccam circumducere possent, unde certum esse dicunt, qvod tum temporis dies a vespera inceperit. Hoc etsi non omni verisimilitudinis specie destituatur, minime tamen rem conficit, nam licet talis temporis terminus præscriptus esset territorium occupantibus, nihil tamen de vera diei inchoatione dixit. Cui merito opponi potest lex ab Haraldo Rege terræ occupatoribus præscripta *Landn.* Part. V.

Cap. 1.

Cap. 1. diem huic actioni ab oriente ad occasum destinans. Revera autem neutra harum constitutionum ullum ad initium diei naturalis respectum habet. Speciem itaqve verisimilitudinis habent hæc argumenta, sed nihil perfecte probant. Qvæ speciositas id effecit, ut priora secula, præeuntibus Monachis & Clero, qvorum magni interfuit, ut vigilias suas qvavis ratione confirmarent, in hanc sententiam irent, & sine debito examine approbarent.

§. CV.

Dierum Dominicalium uterqve Codex Juris Ecclesiastici Islandorum, ut & festorum initium collocat ad horam 3 pridianam, ita enim Codex Antiqvior Cap. 13. hac de re expresse loqvitur. "Vid skulum hallda þvottdag hinn "fiöunda hvorn helgann ad Noni,, o: ab hora 3 qvivis dies Saturni nobis festus sit. Similiter Recentior Cap. 24. ubi probe notanda sunt.

a) Antiqvitas, Codex enim prior publice in leges relatus est 1123 posterior 1275.

b) Auctoritas, prior ab universa Republ. libera approbatus, & admissus fuit; posterior vero a Regibus Norvegiæ 1277 & 1336 confirmatus fuit.

c) Duratio prioris annis 152 posterioris vero 260.

d) Hu-

d) Hujus legis ſeveritas & ſtrictisſima obſervatio per annorum 400 & qvod excedit decurſum, qvæ omnia hujus legis auctoritatem magnopere ſtabiliunt.

Reſpond. Hæc omnia nec veritate nec ſpecioſitate deſtituuntur, ſed parum faciunt ad rem, de qva hic disqviritur; nam id tantum probant, qvod dierum dominicalium & feſtorum ſanctificationes initium habuerint, vi harum legum per annos plus 400. ab hora 3 prid. ſed de initio diei naturalis ne verbulum qvidem habent, nec ſeqvitur, qvod ipſe dies feſtus, qvatenus eſt dies naturalis, unacum Cæremoniis & feſtivitatibus coeperit. (Vide ſupra §. LXII.) Tandem non eſt mandatum, nec ſeqvitur, qvod omnes dies profeſti ab hora 3 inceperint, licet id de ſanctitate feſtorum conſtitutum eſſet.

Candide itaqve fatendum eſt, nullum habuiſſe hoc præceptum influxum in verum ejus, & multo minus reliqvorum dierum, initium, ſed ut ſæpius diximus, pomeridianum hocce tempus vi harum Conſtitutionum mutatum eſſe in Paraſcheven, & profeſtum (ut tunc loqvebantur) feſtorum & dierum dominicalium. Qvid de valde ſollicita noctium, inter feſta incidentium, enumeratione, qvam uterqve Epiſcoporum, prior Cap. 15. poſterior vero Cap. 25. adhibet, ſentiendum ſit, ſupra §. LXXXVIII. noſtram ſententiam diximus: qvod autem hæc noctium numeratio eorum theſin prorſus nihil ſtabiliat,

biliat, ſed eandem potius penitus evertat, exſcriptis inde duobus tantum exemplis demonſtratum ibimus. Inter Clementis & Ceciliæ feſta d. 2 & 3. Novembr. eſt una nox, ubi nullomodo duo hemeronychtia inveniuntur, qvæ ad conſtituendum duo integra feſta reqviruntur; unde una illa intermedia nox aut ad utrumqve aut ad neutrum reſpectum habet, qvod ſenſu hypotheſeos conſiſtere non poteſt, ſed ſenſu legis veriſſimum, cum hæc tantum ut limes & interſtitium feſtorum, ſed neutrius pars conſtituetur, qvæ ratio ad omnia hæc exempla adduci debet, qvotqvot tandem noctes id interſtitium contineat, nam magis & minus hic non variant ſpeciem. Similiter inter feſta Sti Nicolai d. 6 Decembris & Conceptionem Mariæ d. 8 Decembris ſunt duæ noctes, qvarum altera ex hac hypotheſi tribuenda ſit Nicolao, illa nempe, qvæ eum ſeqvitur, altera autem Mariæ, qvæ diem præcedit, intermedius vero dies, Agathonio ſacer, ea de cauſa, qvod non ſingulariter in Islandia colebatur, nullam noctem habet, qvæ omnia qvam anomala ſint, nemo non videt. Conf. §. LXXXVIII.

§. CVI.

Non leviter urgent, ipſam vocem *Jolanótt* noctem nativitatis Domini & totum feſtum natalitiorum, indubie a veſpera initium habuiſſe, & ad

& ad ejus exemplum, omnes alios dies formari debere. Festum enim Salvatoris nostri & antiqvissimæ esse institutionis, & semper a vespera inchoatum fuisse, neminem negare, & idem de gentilium festo Jolensi optimæ notæ historias affirmare, qvod id vespera pridiana celebrari coeptum fuerit, qvod evidens sit argumentum, non modo Ecclesiam primitivam, sed & majores nostros primo gentiles, &, inde ad Christianam conversos religionem, antiqvissimo more, a patribus recepto, diem a vespera inchoasse; ad qvod respondери potest.

Festum Theophanias seu nativitatis Domini primitivæ Ecclesiæ ignotum, & non celebratum fuisse priusqvam Seculo IV. a qvibusdam ad 25 Decembris, ab aliis vero 6 Januarii, nulla tum noctis præcedentis, ut singulari sanctitate beatæ, mentione facta; sed cum communis esset sententia, Dominum nostrum media nocte natum fuisse, crescente paulatim superstitione, externis cæremoniis, & operis operati reverentia, in leges relatum fuit, ut etiam ipsa nox nativitatis præ aliis sancta haberetur, & pluribus qvam alia festa honoraretur Missis, unde hac nocte Romæ tres Missæ celebratæ fuerunt, prima ante diem, qva significabatur tempus, cum nondum plenam Dei cognitionem habuimus; secunda cum dilescit, significans tempus in lege; tertia in die, significans tempus gratiæ, cum jam plena Dei cognitio haberetur, unde versus.

Qvarum

Qvarum prima tibi tempus, qvo lege carebant,
Altera dat Mosen, designat tertia Christum.

Ad horum imitationem etiam majores nostri 3. Missas hac nocte celebrabant, primam statim in principio noctis hora circiter 6. dictam communiter *Aftansaung* ɔ: officium vespertinum; Alteram media nocte hora 12. dictam *Nattmessu* officium nocturnum; tertiam vero, dum diescerct, circa horam 8. dictam *hámessu*, officium matutinum. Hinc est, qvod in *jure Ecclesiastico Thorlako-Ketilliano* Cap. 10. & *Arnæano* Cap. 44. tantummodo hac nocte & die plures celebrare Missas qvam alias permissum sit, cum reliqvis festis non nisi unam celebrare liceret. Ad audiendas omnes hasce Missas populus freqvens vespere Parascheves confluebat, & hæc fuit primaria causa hujus festi a vespera inchoationis, sed non qvod hic mos a Noachidis seu remotissimis atavis ad nos pervenerit, in ejus memoriam, qvod nox die prior fuerit; qvod autem inchoationem festi Jolensis gentilium a pridiana vespera attinet, supra §. LXXXVI-XCII. & in seqv. discussimus, qvo Lectorem remittimus.

§. CVII.

Præter hæc nobis opponunt sanctissimi Norvegorum Regis *Olai Crasfi Jus Ecclesiasticum*, vocans noctem inter diem Solis & diem

O Lunæ

Lunæ *Mananótt*; " þat er nú þvi nærst at hinn " siöunda dag er heilagt, og kollum ver hann " Sunudag, þvi at dagur fyrer skal heilagur at " Noni, þá er þridiungur lifer dags, og mána " nótt til hanaottu. " i. e. *Proxime sequitur, ut septimum qvemqve diem, qvem diem Solis vocamus, sanctificemus, sed dies antec deus sanctus erit a Noua, cum tertia pars diei superfit; & nox Lunæ usqve ad gallicinium.* Unde omnino seqvitur, noctem præcedentem ad seqventem diem pertinere, & ejus esse partem priorem.

Respond. Verum qvidem est, qvod *Mananótt* habeat Lex Ecclesiastica, dicta communiter Olai & Magni, sed revera incertæ auctoritatis. Ubi observandum, auctorem ejus esse Grimkelum, qvi eqvidem jussu Regis scripsit, sed qvod ipsi placuit, cum Rex Olaus esset Vir illiteratus, papisticis deditus næniis, qvas ei Monachi in Gallia & Anglia, cum qvibus diu fuerat conversatus, ut Legem divinam instillaverant. Episcoporum autem & cleri magni interfuit, ut vigiliæ & feriarum longitudo suum retinerent honorem, qviqve hujus heterodoxiæ horologicæ, qvod dies nocte prior esset, summi fuerunt fautores & promotores, non mirum, eos hoc modo suum dogma stabilire voluisse, talis enim loqvendi modus, ab hoc Episcopo usurpatus, tantam præsertim in Cleri & rudiorum animis impressionem fecit, ut eum imitari, plurimis in religionem abiret. Et qvidni

tam

tam utile ac lucrosum, & ideo etiam necessarium ac sanctum institutum, ut fuerunt festa, vigiliæ, & omnia, qvæ ad eorum honorem & emolumentum aliqvid faciebant, qvalis fuit noctium sanctificatio, & in sanctitatis testimonium nominis immutatio, ambabus apprehenderent manibus, & mordicus retinerent, cum alia ejusdem farinæ, ex qvibus præter multam transgresfionis, nulla lucri spes fuit, ut fundamentalem religionis articulum acciperent, qvalis fuit mutatio nomenclaturæ dierum profestorum; Jonæ enim Ogmundi filio Holanæ Dioecesèos primo Episcopo tribuitur, qvod suis Dioecesianis auctor fuerit, ut nomina dierum mutatum irent, indignum enim esse Christianis, ut appellationes Deastrorum gentilium diebus applicarent; hinc loco *Tyrsdag*, *Odinsdag*, *Þórsdag*, *Freysdag*, substituerunt *Þridiudag*, *Midvikudag*, *Fimtudag*, & *Föstudag*, qvæ constitutio apud nos in usu est; num vero ipse, an alius qvidam, eum imitans, eorum dierum nomina mutaverit, qvi a planetis denominabantur, tam incertum est, qvam id certum, qvod mutationem passa sint, nam loco antiqvi *Sunnur* seu *solar dagur*, diei solis, substitutum fuit *Drottinsdagur*, qvo nomine in plerisqve documentis seculo 12 & 13 gaudet; loco *Manudagur* seu dies lunæ, *annar dagur viku*, sed loco dies Saturni, ultimus septimanæ dies vocatus fuit *Þvottdagur*, dies lavationis, qvod no-

men etiam hodie retinet; reliqva autem iterum abolita; antiqva vero *Sunnu-* & *Manudagur* restituta sunt. Hæc autem hic inserere placuit ad ostendendum, qvantam mutationem Clerus Catholicus in nomina dierum intulerit. Unde non mirum videri debet, qvod noctes festis propinqvas hoc modo tractaverint, præsertim cum id institutum & sanctitatis larva palliari posset, & ex eo haud spernenda lucri spes affulgeret.

§. CVIII.

1. Porro opponunt *Constitutionem Magni Episcopi Schalholtensis Juris Eccl. Thorlaco-Ketill* Cap. 44. " Þat var nymæli giort þá, er " Magnus Giffurarson var Biskup ordinn, at " nú er lögskylldt at fasta nætur þær atta, er " adur voru ei logskylldar, eín er Jolanótt, " önnur Paskanótt, þridia fyri Uppstigningar" dag, fiorda fyrer hvitasunnu, oc midviku " nætur fiorar um langafostu, þær adur voru ei " lögteknar. „ ɔ: *Magno Gissuri Episcopo facto, hæc novella rogata est, qva jubetur, ut noctes 8 antea non observandæ jejunio posthac transigantur. Prima harum est nox natalitiorum: Secunda nox Paschatis, tertia ante diem ascensionis Domini, quarta ante Dominicam Pentecostes, noctes qvatuor, qvæ dies hebdomadarum mediarum in septuagesima præcedunt, & antea legibus* *recepta*

receptæ non fuerunt. Qvibus respondetur.

a) Attendendum eſt, qvod Conſtitutio facta ſit Seculo XIII, nam Magnus Cathedram Schalholtenſem aſcendit 1216, labante valde antiqvo more & conſvetudinibus, ſed ingruente craſſiſſimo Papiſmo & ſuperſtitionibus, inter qvas vigiliarum obſervatio & jejunia, non diurna tantum, ſed etiam nocturna, & ſanctorum cultus non ultima fuerunt, qvorum gratia Papicolæ omnia miſcere non dubitarunt.

b) Incertum eſt, qvantam vim habuerit hæc conſtitutio, & qvamdiu duraverit; certum enim eſt, Magnum Anno 1226, a Petro Archiepiſcopo Nidaroſienſi ob innovationes qvasdam, in Islandia factas, ab officio remotum fuiſſe, & licet id Anno 1232 a Sigurdo Archiepiſcopo ei reſtitutum fuerit, dubium tamen eſt, qvid de ejus conſtitutionibus concluſum fuerit. Conf. *Hiſt. Eccl. Isl.* Tom. I. pag. 309. ſeqv.

c) Licet omnia hæc, antiqvas ſcil. conſvetudines morales abrogandi, ſed novas introducendi poteſtatem Magno Epiſcopo fuiſſe concedamus, ut & qvod illæ non modo ab incolis receptæ fuerint, ſed etiam ætatem tulerint, reſtat tamen probare, qvod is aliiqve Epiſcopi & Monachi antiqvitatum mutatores, poteſtatem habuerint vocibus novam notionem dare. Certe *Snorro Sturlæus, Sturla Thordi, Auctor Nialæ*, aliiqve boni hiſtorici ea parum curarunt, ut ex allatis ſupra exemplis patet.

d) Sed

d) Sed utcunqve se omnia hæc habeant, id tandem certum est, qvod idem ille *Codex Juris Ecclesiastici*, qvi hanc Constitutionem Magni Episcopi suppeditat, idem etiam nobis conservavit, eadem eqvidem pagina ac folio, antiqvissimam illam Constitutionem de Computo semestrium, qvæ non noctes diebus, sed dies noctibus præfert, & ut generaliter, ita expresse jubet ac constituit: dies in omni computatione semestrium prior esto nocte. Unde patet, hos loqvendi modos, *Jolanótt*, *Paskanótt*, *Mananótt*, *Midviconótt*, qvatenus nocti prærogativam concedere videntur, nihil aliud esse qvam Episcoporum & Cleri vanas & ad suam thesin de festivitatum initio stabiliendam seculo tandem 13 in Islandiam introductas innovationes, ad diem naturalem & civilem plane nihil pertinentes.

e) Tandem etiam id observandum est, qvod licet res & materia hujus constitutionis tantæ sit antiqvitatis, ut præ se fert, & eatenus sit Magni Episcopi, scriptionem tamen, verba & sensum recentiora esse, & foetum hunc eatenus Seculo XIV. natum esse, nullus dubito; omnia enim, qvæ hoc Documentum continet, auctor ut historicus refert, qvædamqve eorum vocat antiqvas leges, qvas sua ætate iterum abrogatas esse fatetur, unde qva nostrum scopum & materiam attinet, nihil aliud agit, qvam testatur, eam sua ætate invaluisse opinionem, qvod nox diem præcedere debeat, qvæ cogitandi

tandi methodus Seculis 14 & 15 propria fuit, & consequenter nostræ thesi nihil officit.

§. CVIX.

Sed urgent porro objiciuntqve, non Episcopos tantummodo & Clerum, sed etiam historicos optimæ notæ, & suæ ætatis viros doctissimos, *Snorronem Sturlæum*, & *Sturlam Thordi* iisdem uti loqvendi modis, scil. qvod noctem, qvæ diem Solis præcedit, vocant *Drottensnótt*, noctem domini, & illam, qvæ eundem seqvitur, *Mananótt*, noctem lunæ. Sic enim *Sturlæus* habet in Vita Haraldi Gilli, Cap. 9. " Þat barst at í Kongahellu Drottins-" nóttena epter Paskaviku. „ ɔ: *Factum est Kongahellæ nocte dominica post septimanam Paschatis.* Et *Sturla Thordi* in *Sturlunga-Saga* Lib. VII. Cap. 17. " Rida þeir um kvolldit, og komu " fram drottens nóttena í Fliotstungu, enn " Drottensdaginn um kvolldit ridu þeir á arnar-" vatnsheidi. „ ɔ: *Vespere* (ɔ: diei Saturni) *iter fecerunt, & nocte dominica Fliototungam pervenerunt, sed vespere diei dominicæ tesqva Arnarvatnensia intrarunt.* Et eodem Libro Cap. 53. *Sturla* noctem, qvæ diem solis seqvitur, expresse vocat *Mananótt*. Unde seqvi volunt, viros hosce doctissimos, antiqvitatum patriarum peritissimos, & priscæ lingvæ puritatis studiosissimos, has phrases ex remotissima antiqvitate petiisse,

qvæ apodictice probent, antiqvis noctem cujusvis diei priorem partem fuisse, sed falli fallereqve hos, nimisqve rigide argumentari, putamus.

1) Qvia, ut ipsæ voculæ *Drottensdagur* & *Drottensnótt* suam produnt novitatem, qvod post acceptam a nostratibus religionem Christianam hæc nomina nata sint, ita etiam Olao Sancto & Grimkelo Episcopo tribuitur, qvod noctem inter dies Solis & Lunæ *Mananótt* appellaverint.

2) Uterqve horum auctorum alibi in suis scriptis, (ut supra probavimus) satis clare suam mentem produnt, qvod diem præcedere, & noctem seqvi, id est noctem esse posteriorem non vero priorem diei naturalis partem, putaverint.

3) Qvod autem hic consvetum scribendi morem mutant, vel inde factum est, qvod de rebus, qvas scriberent, qvam de verbis, qvibus eas proferrent, magis sollicitis, hæ phrases, qvibus Clerus & plebs eorum tempore vulgo utebatur, imprudenter exciderint; doctissimis enim viris sæpius accidit, ut rerum ponderibus intenti, verba minus curent. Vel si consulto ita scripserunt, factum id ideo esse, putari potest, ut iram & offensam Cleri, ut & hæreseos notam aut suspicionem evitarent, qvam alias facile incurrere potuissent, qvasi minus sancte & indecenter de vigiliis & noctium sanctitate cogitarent; nam ab exemplo & imitatione sancti Olai,

Olai, & ei adhærentis Cleri perſvaſionibus recedere, magnum peccatum eſſe putabatur; his autem phraſibus, licet ſemel tantum uſurpatis, ſe non penitus ab hac Eccleſiæ perſvaſione abhorrere, probare potuerunt. Cf. §. XCII. n. 3.

§. CX.

Apud permultos etiam optimæ notæ hiſtoricos tales occurrunt loqvendi formulæ, qvæ indicant, eorum ſententiam fuiſſe, feſta & dies dominicales a pridiana veſpera initium habuiſſe, unde ſeqvi videtur, qvod nox diem ducat.

Reſpond. Id eſt, qvod ſupra §. XCII. n. 3. ultro confesſi ſumus; melioris enim notæ hiſtorici de jejuniis, feſtis, vigiliis, profeſtis, & paraſchevis agentes, triviales qvidem uſurpant phraſes, qvibus vulgus de iisdem loqvens uti ſolitum fuit, ſed tam circumſpecte eas adhibent, ut nec a Clero impietatis & ſchismatis inſimulari poſſent, qvaſi de hoc (ſaltim eorum judicio) magno fidei articulo minus recte ſentirent, nec nocti præ die naturalem qvandam prærogativam tribuendo veritatem proderent. *Snorro Sturlæus* in Vita Haraldi Gilli Cap. 10. duplici vice nominat *Laurentii Vaukudag* pro Laurentii Feſto, non ut indicet, diem pari modo noctem ſeqvi, ut feſtum Vigiliam ſeqvitur, ſed noſtra ſententia nihil aliud hoc loqvendi modo intendit, qvam qvod Vigilia ipſum feſtum præcedat, id

 autem

autem vigiliam seqvatur, ut & qvod vulgus credidit, Vigiliam ipso festo sanctiorem esse; & festum seu diem subseqventem a vigilia sanctitatem mutuari; nam qvantum antiqvi vigiliis tribuerint, historiæ passim docent, ex. gr. *Sturla Thordi* in *Vita Haconis* Norvegiæ Regis, & qvidem de ipsa nativitatis Domini nocte, & ejus profesto seu parascheve loqvens. " Um daginn " fyri Jóla aptan „ ɔ: *die ante vesperam Jolensem, pro pridie festum Jolense*, & alio loco scribit. " Olafsvauku aptan var á Sunnudag, enn " Messudaginn sialfann voru sungnar tidir um " allann Bœenn. „ ɔ: *Vigiliæ Olai vesperà incidit in diem dominicam, sed ipso festo sacra per totam urbem celebrabantur.* Et alio adhuc loco. " Jonsvauku aptan atti Kongur þing í Akurey- " um, var þá til Kongs tekinn Junkherra Mag- " nus. Um daginn epter veitte Magnus Kong- " ur Mönnum sæmiligar giafir þeim er í bodi " hans voru. „ ɔ: *Vespere vigiliæ Johannis Rex Concionem in Ekureÿis habuit, Regioqve nomine principem Magnum honoravit. Postridie Rex Magnus omnibus illis opima dedit dona, qvi convivio ejus interfuerunt.* In hisce omnibus vir ille doctus & circumspectus clare distingvit Parascheven a vigilia, & vigiliam ab ipso festo, & licet hæc recto ordine, qvo secundum Constitutiones Ecclesiasticas connexa sunt, enumeret, non tamen dicit, noctem ordine naturali diem præcedere. Idem etiam faciunt ipsi viri Eccle-

sia-

fiaftici: notum enim eft, antiqvos in fanctorum ac martyrum memoriam non tantum fefta inftituiffe, fed etiam qvibusdam eorum majoris honoris ergo Vigilias addidiffe, perinde ac dies dominicales habuerunt profefta, feu Parafcheves, qvorum utraqve perinde ac parafcheve dierum dominicalium fuum habuerunt initium in pridiana hora 3 pomerid. fed hora 4½ ipfius fefti terminabantur, qvæ vigiliæ fcil. profefta & parafcheve non tantum tempore fed etiam nomine ac Cæremoniis ab ipfis feftis diverfa fuerunt; unde etiam in datis diplomatum & Codicillorum, a Regibus, Epifcopis, Abbatibus aliisqve, fubfcriptorum, non ut ipfum feftum aut ejus effentialis pars, fed tantum ut ejus adjunctum nominantur, qvæ, remanente & per fe fubfiftente integro fefto, facile tolli & abrogari potuerunt: perperam ideo a nonnullis pro effentiali dierum dominicalium & feftorum parte habentur. Teftantur hoc clarisfime.

α) Data Documentorum, ab ipfis Epifcopis, Abbatibus, aliisqve Clericis confecta, tales habentia fubfcriptiones. *Vigilia Johannis*, *Vigilia Laurentii* &c. & cum fefta non haberent vigilias; *in profefto Sti* Chuberti, Hilarii, Johannis ante portam Latinam &c.

β) Leges tam Civiles, vulgo *Jonsbók* Tit. *Lauds-L.* B. Cap. 51. clare diftingvens Vigiliam Botolphi a fefto Botolphi, & Ecclefiafticæ pasfim diftingvunt, « þvottdags helgi „ s:

fanctita-

ſanctitatem diei ſaturni, a "Drottinsdags helgi„ vel *ſanctitate diei ſolis*, unde patet, vel ipſorum Catholicorum judicio profeſta & vigilias ad diem vel ſubſeqvens feſtum naturaliter non pertinuiſſe.

§. CXI.

Maximi momenti argumentum, qvod ex hiſtoriis proferunt, putant eſſe verba *Snorronis Sturlæi* in Vita Haconis Adalſteinii Cap. 15. ita ſcribentis. "Enn adur var Jolahalld haft höggonótt, þat var Midsvetrar nótt og halldinn þriggia náttajól. „ ɔ: *Antea feſtivitas Jolenſis celebrata fuit höggonótt, qvæ fuit media hyemis nox, eaqve feſtivitas tres noctes duravit.* In qvibus non modo ſuæ ſententiæ ingens præſidium ſpondent, eo qvod feſtum Jolenſe a nocte inchoatum fuerit, ſed & qvod tres noctes duraverit; & tandem in voce *höggonótt*, a qvo feſtum incepiſſe dicit, magnum inveniſſe myſterium ſibi videntur, unde ea nobis eo accuratius expendenda ſunt. Antiqvi qvidam Codices pro *höggonótt*, habent *hökonótt*, priorem lectionem in Textu habet Edit. Havn. 1777. Verſio Danica *hagenat*, qvod Scotice redditur *hokenat*, Latine *hoknat*. Doctiſſ. noſter *Torfæus* Hiſt. Norv. Tom. 2. in Vita Haconis Adalſteinii Cap. 7. habet *haukonótt*, & *hokonótt*, cujus rationem & etymon ſe ignorare fatetur;

ab

ab *haka*, mentum, eſt caſus ſecundus *hauko*, vel *höko*, & inde *haukonótt* nox menti; ab *hak* vel *haki* uncus, hamus, rei cujusdam extremitas, formari poteſt *hakanótt*, ſed nullius horum ulla veriſimilis ratio reddi poteſt. Cogitare etiam aliqvis poteſt, *höggonótt* derivatum eſſe a verbo *hagga* vel *haggan*, motio, inclinatio, (teſte *Gudmundo Andreæ* in Lexic.) ut inde formata ſit *höggonótt* nox mediæ hyemis, qvaſi ea jam ad æſtatem ſe vergere aut inclinare inceperit, qvod licet magnam non habeat abſurditatem, tanta tamen non gaudet probabilitate, ut approbari qveat.

Celeberrimus Svecorum Philologus Dominus *Ihre*, in Lexic. Sveogothico Tit. *hokenat* ita ſcribit. " Rem ita narrat Dithmarus in Chro- " nic. Lib. I. p. 12. Eſt unus in his partibus lo- " cus (De Dania ſermo eſt) caput ipſius regni " Ledorum nomine (hodie Leyri) in pago, qvi " Selon dicitur, ubi poſt 9 annos menſe Janua- " rio poſt hoc tempus, qvo nos theophaniam " Domini celebramus, omnes conveniunt, & " ibi Diis ſuis 99 homines & totidem eqvos " cum canibus & gallis, pro accipitribus oblatis, " immolabant. „ Unde ille *höggonótt* vel *hokanótt* vult eſſe noctem falconum; ſpecioſior certe reliqvis eſt hæc ſententia, licet non ſuis careat difficultatibus, & paradoxis, nam *höggonótt* Norvegis qvidem nota & uſitata fuit, ſed utrum etiam Danis familiaris & uſurpata fuerit, in-

incertum eſt. Secundum *Dithmarum* falconum cædes in Dania tantum, idqve in uno pago Hleidra, & non niſi nono qvovis anno, & tandem ſæpisſime vicaria in gallis loco falconum fieri debuit. Sed altum de falconum cæde in Norvegia eſt ſilentium, licet illa regio hoc avium genere magis abundaret qvam Dania. Præterea ſi a falconibus nox hæc nomen habuiſſet, ſine dubio ſcriptum fuiſſet *haukanótt*, id enim tam Orthographia, qvam compoſitionis vocum analogia poſcit. Sic in *Heimskringla haukur* falco, in Vita Olai Triggonis Cap. 60. & Olai Sancti Cap. 90. Nomen proprium viri in Vita Haralldi Pulchricomi Cap. 42. ſic in *Landnama-Saga* ſæpe, & alibi multoties, ſed nunqvam aliter.

§. CXII.

Nos in textu Snorronis potius *höggonótt* qvam *hökonótt* legimus, nam *at höggva* proprie de animalium cæde adhibetur, ut in phraſi: "at höggva buit„ *cædere domeſtica armenta.* Sic in *Laxdæla-Saga* "þat hauſt liet Olafur höggva Uxann„ *hoc autumno Olaus bovem cædi curavit;* & *Eigils S.* Cap. 29. "geck hann þá til med Öxena kongsnaut, og hiö yxnenn bædi ſenn.„ ɔ: *Accedens ſecuri, qvam Rex ei donaverat, duos uno ictu boves percusſit.* De eqvis adhibetur in *Niáls-Saga* Cap. 65. "högg þú heſtinn.„ *occide eqvum*, & paulopoſt:

"Kol-

" Kolfkeggur hió höfud af heftenum. „ ɔ: *Kolfkeggus eqvo caput amputavit.* De ipfius Snorronis Sturlæi cæde ufurpatur *Sturlunga - Sagæ* Lib. VI. Cap. 31. " högg þú fagdi Simon „ ɔ: *ita feri ut moriatur, högg* Nom. Subft. primo fignificat qvemvis ictum & verber, freqventer autem mortem, ut in loqvendi modo: " var " hann leiddur til höggs „ *ad mortem abductus fuit.* Et in *Eigils-S.* " Grimur liet þá reka " heim yxn fin til höggs „ ɔ: *Grimus boves fuas domum ad cædem compelli curavit.* Compofitum cum voce *Strand*, vocula *ftrandhögg* notat.

α) Carnes animalium, ut in phrafi " hann " þottift þurfa ftrandhöggs „ ɔ: *recenti videbatur carne indigere, ad reficiendum milites.* *β*) Raptum & prædationem qvam pyratæ fæpius, in littora exfcendentes, in pecoribus exercebant, ut " ad taka „ vel " giora ftrandhögg „ ɔ: *damnum inferre, qvod in pecorum raptu confiftebat.* *γ*) Lanienam pecorum in littore factam, qvo fenfu fæpius in *Kringla Snorronis* occurrit, fcil. in hac locutione " ad höggva ftrandhögg „ ɔ: *mactare pecora in littore maris.* *δ*) Maxime autem ad nativum hujus voculæ fenfum & verum intellectum conducit obfervare, qvod non unice adhibetur de pecoribus raptis & violenter abactis, fed etiam de licite acqvifitis & dono datis, modo ad nautam & militem reficiendum ufurparentur, ut apud *Snorronem* in Vita Magni Nudipedis Cap. 26. 27. ubi de commeatu ipfi

abituro a Rege Hyberniæ promisso & donatô plus simplici vice adhibetur. De alio autem & communi prædationis genere aliis Auctores loqvendi modis utuntur, scil. " at heria, giöra " hervirki, drepa menn, brenna, ræna fe og " mönnum, reka fe til strandar &c. „ Et licet non plane pernegem, vocem *strandhögg* qvandoqve de communi præda usurpatam inveniri posse, id tamen raro & abusive usurpari puto, cum proprie significet nautarum commeatum ex recentibus solis carnibus constantem.

Tempus autem, qvo solennis hæc Jolensis laniena facta est, non fuit nocturnum; impossibile enim fuit tantam eqvorum, boum & pecudum copiam nocturno tempore occidere, dissecare, & rite præparare, unde id interdiu factum esse, statuendum est; prima enim carnium coctio de die incepit, ut & ipsa commissatio, qvæ in eodem plerumqve coenaculo aut delubro habebatur, qvo carnes coqvebantur, ut ex Vita Haconis Adalsteinii Cap. 18. concludi potest, illaqve sæpius in multam noctem protracta esse videtur, ut ex collatione locorum §. XCIII. & CXV. adductorum patet. Cumqve hac tempestate tam varii animalium generis magnam carnium molem plus solito deglutirent, alias enim rustici lacticiniis, oleribus, pisciculisqve vesci solebant, primæ commissationis nocti inde nomen dederunt, vocantes eam per Exochen qvandam *höggonótt*, perinde ac primam festi

Jolensis,

Jolensis, Paschalis, hiemis, vocarunt *Jolanótt*, *Paskanótt*, &c. licet hæc aliaqve festa plures includerent noctes, qvæ itidem sic vocabantur, qvo sensu tres illæ noctes, qvas continuit festum hoc; sano sensu vocari potuerunt *höggonætur*, perinde ac tres hyemis noctes vocantur *veturnætur*; hujus Synonymum est *slátursnótt*, nox carnium, si ex analogia synonymorum aliqvid inferre licet, utrumqve verbum *at höggva* & *slá* mactare, occidere, notat, & *slátur* perinde ac *högg*, ut in vocula *strandhögg*, nunc carnes significat, ut *Niálæ* Cap. 40. " var þá borit inn " slatur „ *carnes appositæ sunt*, nunc ipsum mactandi actum ut *slaturstíd*, *slatursstarf*, nunc corpora mactatorum animalium, ut *Sturlunga-Sagæ* Lib. III. Cap. 25. ubi de nuper occisorum hominum corporibus dicitur, " med ny slátur " er her at fara. „

§. CXIII.

Unica, qvæ hanc sententiam ferit qvidem sed haudqvaqvam evertit, objectio, est apparens tantum sed non realis anomalia compositionis in voce *höggonótt*; nam si a voce *högg*, qvæ est Neutr. Gen. composita esset cum *nótt*, deberet secundum consvetam compositionis analogiam scribi *högganótt*, non *höggonótt*; sed in promtu est sufficiens ratio, & luculenta responsio; nam præter antiqvorum licentiam, qvi de-

P tali-

talibus minutiis solliciti non fuerunt, & incuriam scribarum, qvi facile pro *höggonótt*, potuerunt scribere *höggonótt*, nam inter litteras *a* & *o* parvum est discrimen, & facilis lapsus: Respondeci potest: qvod vocula *högg*, licet hodie tantum in Neutro genere usitata sit, antiqvitus tamen vel heterogenea fuerit, vel *högga* in foeminino pariter usitata, ut permultæ aliæ, ex. gr. *hnoss* cimelium & foem. & Neutr. gen. est, & in foem. *hnosser* tantum in plurali usurpatur, *gotz* hodie Neutr. gen. est: & nesciremus, unqvam fuisse foem. gen. nisi id nos doceret *Snorro Sturlæus*, in Magni Regis Erlingidæ Vita Cap. 9. scribens: " þotti honum Biörgvins " menn vera makleger ad medtaka gotzo þá á " skipunum var. „ sic *mugg* neutr. gen. & *mugga* foemin. obscurus aer, *hol* neutr. & *hola* foem. cavitas; *drif* Neutr. & *drifa* foem. nix, procella. *gol* Neutr. & *gola* foem. aura. & permulta alia; & sic pariter recte scribi potuit *höggonótt* & *högganótt*; ast cum omnes, qvi exstant, antiqvi Codices *o* in *höggo*, *hauko* & *hökonótt*, non vero *a* habeant, illud huic præferendum esse censemus. Sed utcunqve hæc sint, ex reliqvis tamen patet, *höggonótt* satis commode per noctem lanienæ & carnium explicari posse. Hanc noctem auctor dicit fuisse, " Midsvetrarnott „ ɔ: *mediæ hyemis noctem*, sed utrum diem mediæ hyemis præcesserit, an subsecuta fuerit, non dicit; si prius subintelligitur, referendum est ad

id

id, qvod diximus §. XCII. CIII. n. 4. & CXV. pridie enim ad talia conveniendum fuit. Conf. *Eigils-S.* Cap. 32. *Sturlunga-Saga* Lib. VII. Cap. 6. aliasqve passim. Sin posterius, habemus, qvod volumus, accurate cum nostra *Gragas* concordans, dicente, " dagur skal fyrr " koma enn nótt alls Misserestals. „ *id est dies noctem in omni temporum computo præcedere debet.* Qvod autem seqvitur: " og halldin þriggia " nátta jol. „ indicat, hic tria hemeronychtia subintelligi, qvod facillime fieri potuit; qvi enim primam commissationem primo festi die post meridiem inceperant, eamqve in multam noctem protraxerant, qvarto tandem die, anteqvam ab invicem discederent, ultima vice immolabant & combibebant, ut festivitas hoc modo triduum, qvod idem est ac tres noctes, duraret, in talibus enim non minutissima reqvirebatur temporis observatio. Noctium autem numero Auctor hic utitur, ut alias sæpe, ad vitandam ambiguitatem, ex dierum numero provenientem, cum tempus hoc contineret tres noctes integras, sed duos tantum integros dies, semissesqve duas primi & ultimi, qvæ tertium efficiebant, sed alias pro duobus accipi potuissent: ex qvibus patet, noctis prærogativæ tutores hinc parum lucrari.

§. CXIV.

Alterum ex *Sturlæo* petunt argumentum, loqvente de convivio, ab Olao Sancto in initio Anni 1029 celebrato, & donis, ab eo in præsentes magnates & amicos collatis. “ Þat var “ hinn fiöunda dag jola at Kongur geck og faer “ menn med honum — þeir geingu í hús eitt, “ þar veru hyrdir dyrgriper Kongs, hann hafdi “ þá vidurbunad mikenn sem vandi var til, “ heimti samann dyrgripe sina til þess at gefa “ vingiafir hit attunda kvölld jola. „ qvod in editione Peringskioldiana ita Latine redditur; *circa feriam solennem septimam, forte paucis comitantibus prodierat Rex — — Armarium tandem ingressi sunt, ubi pretiosa Regis servabantur, utensilia, illuc comportata, ut feria solenni octava, circa novi anni auspicia strenæ loco a Rege distribuerentur;* unde inferunt.

1) Snorronem hic expresse nominare septimum festi diem, & eidem tribuere octavam festi vesperam, unde seqvi necessum sit, qvod dies & annus tum temporis a diei vespera inceperit: respondetur autem, Snorronem septimum diem & octavam vesperam non conjungere, sed manifeste distingvere; vult enim innuere, ut fuit Rex Olaus vir sanctus, id est in alios morosus, ita & suas res & actiones certo observato ordine ac magna gravitate peregit: hinc jam instante festo novi anni pridie, seu festi Jo-

lensis

lenſis die ſeptimo, armarium ſuum, paucis amicorum intimæ admisſionis ſtipatus, ingreſſus eſt, ad diſpiciendum, qvodnam Cimelium cuivis amicorum & magnatum, qvos ad ſe vocaverat, poſtridie ſeu die ſeptimo dono daret, ne in ipſa aula inter tantas feſtivitates, in tot nobilium virorum præſentia, de tali re hæſitare aut conſultare opus haberet.

Inſtant. 2) Non permiſiſſe tempus & commoditates aulæ, ut omnibus prætorianis militibus die feſto a Rege ſtipendia numerarentur, ideoqve id pridie factum eſſe, ut hiſtoriæ plus ſimplici vice docent, Reges & Dynaſtas ſolviſſe ſtipendia " at jolum, at attadege, at kyndil-" meſſu„ ɔ: *ante & ſub hæc feſta*, vel *pridie eorum*.

Reſpond. Non nego, fieri potuiſſe, ut ſtipendia militibus qvandoqve pridie feſtorum ſoluta fuerint, ſed ipſo feſto id etiam factum eſſe, conſtat, non qvidem ab ipſo Rege, ſed ejus qvæſtore, qvi ſatis bene ſcivit, qvantum cuicunqve jure debebatur; dona autem & Cimelia ipſe Rex diſtribuebat, idqve ipſo feſto, finito convivio. Vide præter multos alios locum de Magno Rege in CVIII. §. allatum. Præterea " ad " jolum, at nyarsdege „ &c. non ſemper notat *ſub* & *ante*, ſed ſæpisſime ipſum nominatum tempus ut " at aptni, at morgni, at veitſlunne „ ɔ: *mane, veſpere, in convivio*. Hinc *Torfæus* Norveg. Tom. III. Lib. 10. Cap. 3. " at kyn-

« dilmeſſu „ vertit *feſto Purificationis*, & Tom. IV. Lib. 4. Cap. 10. " at attadege „ vertit *feſto novi anni:* ſimiliter etiam purpuratis & amicis Regiis, ſed non gregariis militibus, dabantur, magna autem urgente neceſſitate ac nummorum penuria, diffringebantur argentea ſupellectilia, & aut fruſtulatim ponderata dividebantur, ut factum eſt anno 1263, aut cuſi ex argento nummi, ſtipendii loco numerabantur, ut Anno 1240 fieri curavit Rex Hacon Haconides, " og at hinum attunda dege lict Kongur « brióta í ſundur oll ſilfurker ogillt, og giördi « hyrdmönnum god ſkil. „ ſed hic non talis facti ſeu numerationis ſtipendii ulla mentio, ſed tantum donationis Cimeliorum amicis factæ.

Inſtant. 3) Sighvatus certe fuit miles prætorianus, cui die ſeptimo enſis a Rege datus fuit. Reſpond. Sighvatus, qvi antea fuerat gregarius miles prætorianus, jam vero Regius poeta & Stallarius factus, & qvod omnia hæc ſuperat, amicus intimæ admisſionis & fidei, Regi familiarisſimus, videns gladios illos pretioſos, fuſo ex tempore eleganti carmine, petiit, ut qvidam eorum ſibi donaretur, qvo Rex ita delectatus eſt, ut ei ſtrenæ loco, poſtero die tradendæ, ſtatim pretioſisſimum enſem dono daret; de ſtrenis enim hic in amicos dividendis agitur, ſed non ordinario ſtipendio militibus ſolvendo. Sed utut hæc omnia ſint, id tamen certum, qvod Snorro octavæ huic, qvam nominat, veſperæ

fperæ tribuit id, qvod revera ad octavi diei festi Jolensis seu primam Januarii vesperam pertinuit, & conseqventer hic nocti nulla conceditur prærogativa.

§. CXV.

Communiter etiam utuntur noctis prærogativæ fautores hoc *Gunnlaugi Monachi* dicto in Vita Olai Tryggvini, edit. Schalh. Part. II. pag. 147. ut apodictico argumento, " nú kemur " atti dagur jola; umm kvolldir geingu III menn " í höllena, enn kongur sat yfir bordum. „ ɔ: *cum jam adesset octavus festi Jolensis dies; vespere tres viri aulam intrarunt, cum Rex mensæ assideret*, ubi de initio octavi diei, a vespera septimi diei incipientis, loqvi contendunt, qvod tuto negari posse putamus, freti loco plane parallelo apud eundem auctorem, qvi paulopost in eadem relatione occurrit. " Nú lydur vetur- " inn og kemur annar átti dagur jola, og er " kongur í kyrkiú og menn hans, og hlyda " messu, þá komu þar III menn; sidann geingur " Kongur til borda. „ ɔ: *Seqventi hyeme adest alterius festi Jolensis octavus dies, quo Rex cum satellitibus suis in templo Missam audivit; tunc tres viri templum intrant, Rex autem deinde in triclinium se conferens, ad mensam assedit.* Hic posterior locus priorem ita explicat, ut manifestum sit, auctorem non vocare vesperam septimi

 diei

diei *attadag*, ſeu diem octavum, ſed priore loco, perinde ac poſteriore, loqvi de ipſo octavo die adulto ſeu feſto circumciſionis Domini; potuerunt enim viri iſti in urbem venire circa meridiem, licet non aulam intrarent, & Regem convenirent, priusqvam tempus coenandi adeſſet; nam Auctor poſteriore loco expreſſe de adulto die ſeu ipſo meridie dicit. " Nú kemur annar " attidagur jola, og er Kongur í kyrkio. „ ɔ: *Alter octavus dies adeſt, cum Rex in templo ſacris intereſſet.* Unde clare conſpicitur, qvam debilia, dubia, & qvandoqve ipſorum etiam ſententiæ contraria ſint adverſariorum argumenta, cujusmodi ſexcenta licet proferre, ſi non tempori, labori, & lectorum patientiæ parcendum putaremus. Omnia enim aut ad §. XCII. aut ſeqv. §. pertinent, aut hoc modo explicari debent.

§. CXVI.

Alterum idem auctor illis ſuppeditat argumentum Part. I. Cap. 44. de Jomsvikingis ita ſcribens, " þeir Jomsvikingar drecka akaflega, " og hit fyrſta kvolld fær á þá miög. „ ɔ: *Avide biberunt Jomenſes, ita ut prima veſpera valde inebriarentur.* Unde hoc modo concludunt: ſi magnificentisſima convivia, qvale fuit hocce, a veſpera & ineunte nocte inchoata fuerunt, ſeqvitur, diem a veſpera inchoatum fuiſſe, cum

prior

prior & potior diei pars tali festivitati dicata fuit.

Qvibus respondetur. a) Qvam invalida, torta & hiulca sit hæc consequentia, nemo non videt, qvare ejusdem refutationi tempus perdere, & Lectori tædium creare nolumus.

b) Inchoatio conviviorum a vespera omnino referenda est & resolvenda ex supra allatis §. XCII. qvo Lectorem remittimus, qvæ historiarum testimoniis ad nauseam usqve probari possunt, ut sunt *Eigils-S.* Cap. 32. "Þetta "kvolld kom Eirikur Kongur og Gunnhilldur "Drottning til Atleyar, og hafdi Bardur buit "þeim veitslu, og skylldi vera disablót." ɔ: *Hoc vespere Rex Ericus & Gunnhilda Atlejam accesserunt. Bardus autem convivium illis paraverat, vocatum Disablot*, ubi vespertinus Regis adventus & hospitalitatis leges, seu mos advenas & hospites primo advenientes laute excipere, vespertini convivii causa fuisse videtur, non vero noctis præ die prærogativa, nisi forte natura sacrificii Disablot nocturnum tempus poposcerit. Sic *Sturlunga-Saga* Lib. IX. Cap. 2. "Nú komu menn til veitslunnar Laugarkvol-"ledit." & alibi

c) Gunnlaugus hic revera nihil aliud dicit, qvam qvod vesperascente primo convivii die, cum Jomsvikingi diu strenue bibissent, ita, inebriatos esse, ut qvid voverent, parum curarent. Conf. qvæ de hac re dicta sunt supra §. XCIII.

P 5 §. CXVII.

§. CXVII.

Cum rerum perplexarum causæ & conseqventiæ sæpissime ipsis rebus lucem affundere soleant, harum neutræ hic prætermitti debent, causa enim legislatoris intentionem, conseqventia autem fructum & effectum ostendit. Qvod itaqve causas hujus innovationis attinet, constat, eas fuisse Ecclesiasticas & Cæremoniales, easqve iterum aut generales & remotas, aut speciales & proximas.

Generales itaqve & Remotiores hujus legis causæ fuerunt.

α) Inanis Judæorum imitatio, qvorum simiam Romana Ecclesia sæpe egit.

β) Affectata qvædam conformatio cæremoniarum, in Ecclesiis qvibusdam orientalibus usitatarum, qvibus sufficere non videbatur, ut recepto Christianorum more diem dominicam cultui divino destinarent, sed eidem etiam diem saturni aut ejus partem consecrantes, festivitates ab hora 12 diei Saturni inchoarent.

γ) Sine omni dubio notissimum illud Catholicorum axioma, *bona opera ad salutem esse necessaria*, cumqve ea, qvæ lex divina facere mandat, perparva & nimis vulgaria viderentur, electitia etiam & supererogationis opera poscebant, qvorum superfluitate talium egenis subveniretur, jam vero præceptum de sabbato sanctificando inter summa numerabant, & opera ad

id

id pertinentia maxime necessaria & summæ sanctitatis esse judicabant. Hinc talem de sabbato finxerunt legem, qvæ ei non modo integrum diem naturalem, seu 24 horarum tempus, tribuebat, ut in lege divina factum esse videtur, sed addiderunt præterea 9. præcedentis diei horas, qvæ Paraschevis loco essent, ad opera supererogationis præstanda.

δ) Causa autem propior & specialis, ob qvam electitium hocce tempus ab hora 3 pridie Sabbatum inchoarunt, & tandem in hora $1\frac{1}{2}$ vel $4\frac{1}{2}$ matut. postridie sabbatum terminarunt, fuit imitatio mortis & qvietis Christi in sepulcro; noverunt enim, animam efflavisse circa horam 3. & ideo initium qvietis sabbaticæ ad eandem alligarunt; notum etiam illis fuit, eum circa primam auroram die tertio resurrexisse, cum circiter 38 horas mortuus fuisset, qvas etiam qvieti sabbaticæ dandas esse jusserunt, qvo pacto & legem impleverunt, & typo Christi satisfecerunt, tandemqve haud contemnendum supererogationis opus præstiterunt.

ε) Ultima autem, proxima & efficacissima causa, in cujus gratiam omnes enumeratas in unam confuderunt massam, fuit vigiliarum confirmatio, & profestorum & postfestorum stabilimentum. Hæc enim ut clero fuerunt lucrosissima, cum transgressores legis sabbaticæ gravi mulcta punirentur, ita ut illis divinæ institutionis speciem qvandam conciliarent, omnem moverunt

verunt lapidem, qvod longo post tempore tandem perficere potuerunt.

§. CXVIII.

Post causas observandus est progressus, qvi talis fuit. Prima hujus consvetudinis vestigia, (id est festivitates a vespera pridiana inchoandi) occurrunt ad annum 997 cum Thangbrandus qvidam Germanicæ nationis sacrificulus aut Episcopus, ut a qvibusdam insignitur, novam, id est Christianam religionem Islandis annunciaturus, apud Hallum de Sydu hyemans, festivitatem diei, Archangelo Michaeli dicati, debitam, ad horam 3 pomerid. pridie ipsum festum ordiretur, qvod Hallo, patriarum & Norvegicarum antiqvitatum callentissimo; ut insolitum qvid summæ fuit admirationi. Eundem morem Olaum Crassum Norvegiæ Regem Islandis in jure Ecclesiastico, qvod illis circa annum 1019 transmisit, inculcasse, dubitari non debet. Solennissime autem introductus, & communi nationis consensu in leges publicas relatus fuit Anno 1123, cum Thorlakus & Ketillus Episcopi, instinctu Adzeri Archiepiscopi Lundensis, novum Islandis jus Ecclesiasticum per Sæmundum Multiscium, adstipulante regionis Nomophylace, & reliqva magnatum ac plebis multitudine, præscripserunt, qvorum vestigia legit Arnas Thorlaci Schalholtensis Præsul, qvi idem Anno 1275, in

in novo, a ſe conſcripto, jure Eccleſiaſtico renovavit & conſtituit, ſcil. qvod feſtivitates ſeu præparationes Cæremoniarum, ordinariis diebus dominicis ac feſtis debitæ, a pridiana hora 3 pomerid. ordirentur, niſi ſingularis impediret necesſitas, in tali enim caſu aliæ diei metæ pro re nata præſcriptæ fuerunt, ut ex ipſis hiſce legibus, & aliis idem præcipientibus edictis ac conſtitutionibus diſci poteſt; de qvibus omnibus & qvotqvot aliis, qvæ aliqvid de hac re agunt, legibus ac conſtitutionibus id notandum, qvod tantum de initiis & fine cæremoniarum ſacrarum, diebus feſtis obſervandis, ſat anxie agant, ſed de communi ac naturali dierum initio ac fine ne verbum qvidem habeant, qvod ullam antiqvi moris immutationem ſecum ferat aut intendat.

§. CXIX.

Introducta & in leges relata dierum dominicalium & feſtorum celebrationem ab hora 3 prid. inchoandi conſvetudo, conſtanter qvidem duravit ab Anno 1123 ad 1275, ſed valde (ut videtur) varie obſervata; magna enim Cleri pars & infima plebs, niſi cum a magnatibus, diſſolute viventibus, in contrarium traheretur, legibus eatenus obſervantiam præſtitit, ut pridie feſtorum poſt horam 3 a neceſſariis operibus oeconomicis abſtineret, ſacrorumqve adminiſtrationi in-

intereſſet, ſed nihilominus ad ludicra & opera minus neceſſaria hoc tempore abuti non verebatur; Magnates autem ipſi, & longinqva fecerunt itinera, cædes patrarunt, prælia commiſerunt, & qvicqvid libuit, peregerunt, præter opera domeſtica in legibus prohibita, ab illis enim abſtinuiſſe videntur, ut cuivis, hujus temporis hiſtoriam legenti, apparebit, nec unqvam tamen eapropter ab Epiſcopis & Clero mulctati, aut pœna qvadam affecti, ita ut tota hæc ſabbati ſanctificatio ſuperficiaria, & feriati potius dies, qvam veræ feriæ plerumqve fuerint. Sed poſt mutationem regiminis Reipublicæ, & cohibita Magnatum licentia, maxime autem poſt editum & Anno 1275 in leges relatum jus Eccleſiaſticum Arnæanum, accedente ſimul ſumma injuria, & ſubſeqventium Epiſcoporum ſtrictisſima diſciplina Eccleſiaſtica, hæcce rerum facies in ſcrupuloſam feſtorum obſervationem mutata eſt, paulatimqve ſuperſtitio & ignorantia eo proceſſerunt, ut ipſi tempori inhærentem qvandam & naturalem ſanctitatem adſcriberent, qvam ſuperſtitionem etiam antea apud qvosdam locum habuiſſe, nemo negare poteſt, nam ex hoc fonte loqvendi modorum varietas, de qva §. LXXXXII. egimus, qvæ apud Auctores, de feſtorum initiis ſcribentes, occurrit; omnino derivanda videtur; ultimis autem ante reformationem Lutheri ſeculis, licet feſtorum, ut & vigiliarum, profeſtorum ac dierum lotionum ſeu

Sa-

Saturni ſanctitatem in majorem & minorem ſecernerent, omnibus tamen magnam ſanctitatem tribuerunt, ita ut qvi vigiliis & profeſtis aliqvid detrahere auderet, profanus & impius haberetur; tandemqve ſeculis 15 & 16 huic dogmati, qvod qvivis dies naturaliter & ex divina conſtitutione ab hora 3 pridiana inchoari deberet, omnes aſſenſerunt, & ut fundamentalem fidei articulum crediderunt, ac ſtrenue defenderunt, unde de reliqvorum dierum naturali principio illis analogo, perſvaſio nata eſt, & apud poſteros ad noſtra usqve tempora firmas fixit radices.

§. CXX.

In apricum hoc modo ductis hujus rei cauſis & progreſſu, diſpiciendæ etiam ſunt conſeqventiæ, hæc enim tria cujusvis rei & negotii adjuncta optimam de ipſo dant ideam, & cognoſcendi facultatem. Si itaqve verum eſſet, qvod majores noſtri ipſum diem a veſpera, ſeu horis, qvas feſtis inchoandis ſtatuit Jus Eccleſiaſticum, exorſi fuiſſent, omnino ſeqveretur.

1) Multiplex cujusvis diei naturalis initium apud eandem gentem in eadem Republica, nam ut qvidam feſtivitates ab hora 3, qvidam a $4\frac{1}{2}$, qvidam a 6, & denuo qvidam a $7\frac{1}{2}$ inchoare potuerunt, ita etiam diem naturalem; ſi eas ad regulas Juris Eccleſiaſtici adaptare licuiſſet, qvod

qvod qvantæ in una Republica confusionis causa existere potuerit, nemo non videt.

2) Cum negari non posſit, ferias ſacras ab hora 3 diei Saturni ad horam $1\frac{1}{2}$, vel ut qvidam volunt ad 3 vel $4\frac{1}{2}$ antemerid. d. Lunæ durasse. O! qvam monſtroſi dies naturales extitiſſent, ſi eodem modulo ac pede dimenſi fuisſent, tunc enim non 7 dies ſed tantum $4\frac{1}{2}$ unam hebdomadem effeciſſent, aut

3) Si qvævis ſeptimana nihiloſecius ſuos 7 retinuiſſet dies, illi valde fuiſſent inæqvales, hoc fere modo. Dies dominicus ſuas retinuiſſet $37\frac{1}{2}$ horas, qvinqve vero ſeqventes 24 horas, a $4\frac{1}{2}$ antemerid. ad idem momentum ſeqventis diei, usqve ad horam $4\frac{1}{2}$ antemerid. d. Saturni, cui tum tandem relicta fuerunt $10\frac{1}{2}$, usqve ad 3 pomerid. cum dies dominica iterum inciperet.

4) Sed esto! rejiciemus omnia hæc, ſtatuetur 24 horarum dies naturalis ſimpliciter initium habuiſſe ad præſcriptum Juris Eccleſiaſtici, hora ſcil. pomerid. 3. qvid inde ſeqvitur, niſi qvod Epiſcopis tanta fuerit poteſtas, ut hac una conſtitutione antiqvum abrogarent morem, & permultas conſvetudines ac conſtitutiones Oeconomicas & politicas immutarent, ita ut ex eorum nutu diei naturalis initium mutatum fuerit, qvod falſum eſſe, §. XC. & ſeqv. probatum eſt.

5) Cum hæc immutatio haudqvaqvam Reip. cauſa fieret, nec ullum ejus honorem aut emolumen-

lumentum pro fundamento haberet, sed contra ex eadem multa ad publicum redundantes confusiones & incommoda timenda essent, non modo verisimile, sed manifestum est, viros politici ordinis, qvi hoc tempore ad gubernacula Reipubl. sedebant, nunqvam id fuisse concessuros; imo ipsi Episcopi Thorlacus & Ketillus, ut & Sæmundus Polyhistor, qvi in his constituendis utramqve fecit paginam, tanto tenebantur Reipubl. amore, ut inanis & nocivæ cæremoniæ causa, Reipubl. & communis Oeconomiæ statum turbare nollent; cumqve prorsus nihil enumeratorum, qvæ hanc mutationem, seu talem dici naturalis formam, qvalem ex Juris Ecclesiastici præscripto, emanare necessum fuit, unqvam exstiterit, aut auditum sit, totam hanc, qvam crepant mutationem, nunqvam fuisse veram, realem, aut actualem; sed imaginariam tantum & verbalem, in cessatione a laboribus, in jejuniis, processionibus, & talibus cæremoniis, ad profesta & vigilias unice pertinentibus, consistentem, manifestum est, etiam præter alia ex Juris Ecclesiastici Cap. 34. de diverso noctis initio, qvod carnivori & a carnium esu abstinentes, diversis anni temporibus observare tenebantur, qvod plene imaginarium, arbitrarium, & mere Cæremoniale fuisse, ipsa diversitas plane ostendit. "Sva skal hann varna vit "kiötvi næturnar þær er logsyllt er at fasta, "sem um daginn efter. Pá skal nótt vera á

Q "haust

« hauſt oc á vetur, er madur má ei ſia dag, oc « veri hann þar ſem hann mætti ſiá á haf ut í « ſcylauſu vedri. Þá ſcal Nótt vera á Sumar « er ſol geingur um Nordurætt. Þat er Nordur « átt er ſol er kominn í beggia átt Nordurs ut- « nordurs, til þeſſ er hún kemur í beggia átt « Nordurs oc Landnordurs. » ɔ: *Noctibus, per qvas jejunandum eſt, æqve ac die inſeqventi a carne abſtinendum eſt. Nox autumno & hyeme adeſſe cenſetur, qvando dies conſpici non poteſt, e loco, unde proſpectus in altum aere ſereno patet. Nox æſtate adeſſe cenſetur, qvando ſol plagam borealem aſſecutus eſt: plaga vero borealis eſt, qvando ſol in plagam utriusqve Boreæ & Cori pervenit, & usqve dum in plagam boreæ & meſis tranſit.*

§. CXXI.

Cum demonſtratum & evictum ſit, antiqvos Islandiæ incolas diem non a veſpera, ſed a tempore matutino inchoaſſe, diſpiciendum tandem eſt, qvo præciſe temporis matutini momento id fecerint; hoc ſi didacticis argumentis probari non poteſt, ex antiqvis tamen legibus, hiſtoriis, aliisqve eo ſpectantibus documentis valde probabile reddi poteſt, id factum eſſe hora $4\frac{1}{2}$, cum ſol punctum Aparctiæ occupat: ſuntqve illa.

1) An-

1) Antiqvus Legum Codex *Jonsbók*, qvi Tit. *Landsl. B.* Cap. 16. jubet opilionem tam mane ſurgere, ut armenta & greges heri ſui, qvæ nocturno tempore limites transgreſſa fuerant, ex vicinorum paſcuis abegerit, cum ſol punctum Orientis attigit ɔ: hora 6. "oc heita " þat hyrdis Rismál. „ ɔ: *hoc tempus* (non qvo opus abſolverat, ſed qvo ſurgendum erat) *vocatur opilionis ſurgendi tempus.*

2) Secundus noſter teſtis erit *Jus Eccleſiaſticum Thorlaci-Ketillianum*, qvod Cap. 4. de templorum & demortuorum translocatione agens, jubet curiatos, qvibus opus id injungitur, adeſſe & opus aggredi "á midium morgni„ ɔ: *hora 6.* ubi illis una antiqvorum hora, ſed noſtra ſesqvihora, a diei initio & ſurgendi tempore, ad præparationem & profectionem a ſuo domicilio ad locum, ad initium operis conceditur.

3) Eſt *Vigaglums-S.* Cap. 25. docens, Glumum citaſſe hoſtes ſuos, ut ad audiendum jusjurandum adeſſent Storadali, " á midium morg- " ni „ ɔ: *hora matutina 6.* ubi, pariter ac mox allegatæ leges, ſesqvihoram a communi ſurgendi tempore ad præparationem, & iter faciendum attribuiſſe videtur.

4) Qvartum argumentum aut veriſimilitudinem ducimus a *Jure Eccleſiaſt. Thorlaco-Ketilliano* Cap. 20. abſtinentiam a carnium eſu per totum tempus qvadrageſimale jubente, ſed

eundem permittente primo Paſchatis mane, qvam primum radiorum reflexio in ſummis montium cacuminibus conſpicitur, qvod feſto Paſchatis in Islandia ſemper incidit ante horam 6 ſæpisſime circa horam 5, ſed aliqvando cum Paſcha in 21 Aprilis incidit, qvi ejus ultima ſedes eſt, hora $4\frac{1}{2}$ accidit. " Enn þá ſkal ei kiöt eta " á þeim ſiö vicom fyrr enn ſol rennur á fiöll " Paſkadag. „ ɔ: *ſeqventibus vero 7 hebdomadibus carne veſci omnes prohibentur, antequam ſol die prima Paſchatis montes illuminat.* Hac autem conſtitutione legislatores carnis voracibus obicem ponere voluiſſe videntur, ne unqvam jejunium qvadrageſimale carnium eſu frangerent, & ſe ipſos tam immani peccato contaminare præoccuparent.

5) Neſcio, an huc etiam ſpectet generale illud legis effatum. " Sol ſkal rada um ſumar enn " dagur um vetur. „ Id adhibetur de actionibus forenſibus, & qvibusdam Oeconomicis, omnibus autem applicari non poteſt, cum tempore brumali dies non multum ultra 10 horas conſpiciatur, ſed ſi cum eodem ſalis grano accipiatur, qvo alia antiqvitatis effata accipi neceſſum habent, ſcil. ut per anni qvadrantem & qvod excedit, de hoc temporis puncto aut ex aliorum ſyderum motu, aut ex conſvetudine & naturali ſagacitate judicium vel conjectura fiat, qvod in talibus caſibus leges aliqvando permittunt, optime in hanc materiam applicari poteſt.

6) Op-

6) Optimum & fortissimum, qvod jam in promtu habemus, argumentum, est finis ultimi noctis trihorii, dicti antiqvitus « efri luti nætur„ ɔ: *superior noctis tempestas*, sed deinde *Otta*, cujus finis, optimorum Criticorum & antiqvariorum fide, in hoc temporis punctum seu horam $4\frac{1}{2}$ incidit; diem autem ibi incipere, ubi nox definit, apud omnes in professo est; qvod alio firmissimo confirmatur argumento, nempe qvod meditullium subseqventis trihorii in finem horæ 6 incidit, qvod ut verum est, & non modo omnium consensu, sed & ipso nomine « Mid- « urmorgun„ ɔ: *medium mane* confirmatur, ita etiam verum, qvod dies antiqvitus ab hora $4\frac{1}{2}$ inceperit, qvod clarissime ex Islandorum horologio conspici potest, cujus Sciagraphia ad calcem *Rimbeglæ* Perill. *Suhmii* cura edita est.

7) His licet adjungere plerarumqve gentium Europæarum morem, illis qvasi innatum, & a majoribus per manus filiis ac nepotibus traditum, qvod operarii & artifices, ut sunt sartores, sutores, pistores, molitores, cerevisiarii, fabrorum omne genus, & qvam plurimi alii, omnes qvasi ex edicto diem ab hora 4 seu $4\frac{1}{2}$ inchoare soleant, deses enim inutilis & torpidus apud eos audit, qvi non ante horam 5 somnum rumpit, & operi se accingit.

§. CXXII.

Hæc jam propofita funt utriusqve partis potiora argumenta, qvæ ideo anxie collegimus, & hic tam luculenter explicavimus, ut ipfe Lector de eorum valore judicare qveat; habet pars, dici prærogativam præ nocte affirmans, antiqvisfimi Legum Codicis *Gragas* dicti, qvi unacum legibus Ulfliotianis, ex qvibus defumtus eft, fupra 300 annos in univerfa Islandia vim legis habuit, non fimplicem relationem, fed generale mandatum, cui toto hoc tempore & forte diutius nemo unqvam contradixit, ut dies noctem in omni temporum computo præcedere deberet; habet lectisfimorum Civilis hiftoriæ conditorum exempla, qvi tali computo utuntur. habet legum Ecclefiafticarum exempla, noctes qvidem nominantia & numerantia, fed nihilo fecius diei prærogativam cedentia. Habet tandem tales confeqventias, ex qvibus nihil abfurdum fed qvod concinnum eft, & cum aliis veritatibus facile conciliari poteft, emergit. Contrariæ autem partis argumenta, qvæ nocti prærogativam tribuunt, qvædam funt particularia, de certis temporibus & rerum circumftantiis agentia, qvibus fublatis, nihil probant. Qvædam ita ambigua, fucata & colorata, ut detecta ambiguitate, & colore detracto, contrariam fententiam magis firment, qvam eruant. Qvædam deniqve magis de fuæ thefeos novitate teftantur, qvam

ejus

ejus antiqvitatem stabiliunt; tandemqve tales habent conseqventias, qvæ cum aliis veritatibus conciliari neqveunt, sed varias inferunt absurditates, qvod ex supra allatis facile probari potest.

De Islandorum autem Consvetudinibus, ad hanc rem pertinentibus, adeo prolixe egimus, partim qvia eorum res & documenta nobis qvam aliarum gentium notiora sunt, partim etiam, ut aliis Septentrionis gentibus, ex eodem stemmate oriundis, easdem qvondam aut similes habentibus leges & consvetudines, jam vero in ea versantibus opinione, qvod earum majores antiqvitus diem naturalem a vespera inchoaverint, exemplum præiremus, suas pariter antiqvitates attentius scrutandi: suspicio enim, eaqve non prorsus vana ex nostris rebus sic cadentibus nos cepit, vicinos nostros, Norvegos puta, Svecos, Danos, Germanos, forte etiam Gallos & Anglos, eadem in his ac nos fata expertos fuisse; id est: eorum majores noctes qvidem in certis casibus, & ad evitandam ambiguitatem numerasse, sed tamen diem naturalem a mane inchoasse, introducta autem religione Christiana, occasione vigiliarum & profestorum, a pridiana hora 3 vel etiam ab ipso meridie inchoandorum, in suspicionem venisse, qvod diem a vespera inchoarent, usqve dum tandem omnes, Romanorum more, diei a media nocte fixum statuerunt initium.

EPILOGUS

propoſita in Compendio exhibens.

§. CXXIII.

Ex hactenus dictis ſat ſuperqve patet, nec unqvam in Sacra Scriptura conceptis verbis dici, diem ante noctem exſtitiſſe, nec ullum SSræ locum proferri poſſe, qvi id probet, cum omnia, qvæ huc referri, & ad probandam hanc theſin adhiberi ſoleant, aliam haud minus probabilem tolerent & accipere poſſint explicationem: nam tenebræ, qvæ *Gen.* 1. v. 2. memorantur, nec fuerunt nox proprie ſic dicta, nec ullam ad noctem illam v. 5. a Deo creatam, & ordinatam, reſpectum aut relationem, nec ad diem oppoſitionem habent, cum ex cit. verſu manifeſtum ſit, primo diem, & deinde noctem, qvalia ab eo tempore mundus ea habuit, creata fuiſſe; nam ut recondita illa materia, de qva loqvuntur SSræ Interpretes, & gentium Chaos, non fuit coelum nec terra, nec ſol nec firmamentum, non lux nec ſtellæ, non homo nec alia animantia, qvæ paulopoſt, Deo jubente, exſtiterunt, ita nec tenebræ fuerunt naturales & a Deo creatæ naturalis nox, qvæ tandem die primo poſt lucem creata & conſtituta fuit. Nec verba *Moſis Gen.* 1. ſexies repetita: *& factus eſt veſper una*

dies,

dies, ullam nocti præ die prærogativam dant, habuit enim facer fcriptor caufas gravisfimas fupra memoratas, cur ita fcriberet. Taceo, qvod in prolixo hoc *Genefeos* ***Libro*** ne verbum qvidem hac de re occurrit, Annorum 2369 hiftoriam continente, & rerum momenta accurate memorante.

2) Si divino fcriptori tanti videbatur intereffe, ut primam creationis horam fciremus, ut eam in eodem Capite fexies indicaret, cur ergo nusqvam dixit, qvo menfe & qvo anni tempore id factum fuerit?

3) Qvis tandem revelavit, qvod qvæ *Gen.* 1. v. 1. 2. continentur, circa horam 6 vefpertinam facta fint, & mox poft illorum creationem prima nox exftiterit, fed die poftero, qvi fuit 26 Octobris, lux & alia, qvæ v. 3. 4. 5. memorantur, facta fuerint?

4) Taceo deniqve alias æqve incertas opiniones, non diverfas modo, fed ita inter fe pugnantes, ut qvid credas aut ubi pedem tuto figas, invenire non posfis; optimum itaqve factu videtur, ut nihil certi de ea re ftatuamus, qvam Deo nobis revelare non placuit; omnia enim, qvæ hac de re a patribus, Chriftianisqve Commentatoribus fcripta funt, in meras abeunt conjecturas, qvod cordate fatetur D. *Lutherus* in *Gen.* 1. v. 1. " Wir haben keinen den wir " in diesen Auslegungen sicherlich nachgehen und " folgen könten, darumb wollen wir einen jeden

" ſeinen judicium und gutdünken laſſen, und " ſagen davon was unſere Meinung ſey. ,, Sed Rabbinorum relationibus, qvando extra ſcripturam vagantur, qvid tribuendum ſit, notius eſt, qvam ut illæ qvemqvam morari debeant.

§. CXXIV.

Unde ut omnino incertum eſt, tacente SSra, qva hora Patriarchæ tam ante qvam poſt diluvium diem naturalem usqve ad eductionem populi ex Ægypto inchoaverint, ita certum eſt, Deum per Moſen Iſraelitis mandaſſe, ut Paſchatos & Expiationis feſta a pridiana veſpera inciperent, qvod illi aut per cultum electitium, aut monente Moſe in præparatione reliqvarum feſtivitatum imitati ſunt; plane vero incertum, qvod dies profeſtos ſeu diem naturalem eodem tempore inchoare juſſerit, imo certius & veriſimilius, qvod hoc nunqvam mandaverit, certe tale mandatum in Libris Moſaicis non exſtat, nec extra controverſiam eſt, qvod hoc Judæi communiter fecerint, usqve ad captivitatem Babylonicam. Vide §. XXX. ſed ex eadem reduces, præſertim ſeqvioribus ſeculis, non eſt negandum, mandatum Dei de Sabbati inchoatione etiam ad alios dies extendiſſe; tunc enim innumeræ ſuperſtitiones, præſertim de Sabbato, Vide 1 *Macc.* 2. & rebus ad externas cæremonias pertinentibus, plus nimio expullularunt, & licet

licet diem naturalem a tempore matutino inciperent, hujus haud ſpernenda exſtant documenta, ut aperte fatentur magni nominis Theologi, ut ex §. LXVI. conſtat; a gentibus tamen ob ſcrupuloſitatem circa Sabbati inchoationem & celebrationem adhibitam, imputatum fuit, & creditum, qvod omnes dies a veſpera inciperent; cum vero qvæ ultimis templi poſterioris temporibus hac de re ſtatuerint, aut fecerint, parum ad noſtram theſin faciat, illis non immoramur.

§. CXXV.

Ut ſacri Codicis dicta nihil deciſivum pro noſtis prærogativa habent, ita multo minus tale qvid ex gentium conſenſu & conſtanti more, diem a veſpera inchoandi, elicias. Qvod Judæorum vicini, Arabum ſcil. magna pars, Ægyptii & Phoenices, eorumqve Coloniæ per univerſam fere Africam, magnam Græciæ & Aſiæ Minoris partem, diſperſæ fuerint, ſuis locis ſupra relatum eſt, ſed qvotqvot eorum diem a veſpera inchoarunt, id a Judæis accepiſſe, valde eſt probabile, ut expreſſe nobiscum fatetur *Reizius*, loco ſupra ad §. LXVI. citato dicens. "Ob "celebrem Moſis famam multæ gentes orientis "ſuos dies ab occaſu ſolis exortæ ſunt, imo multo "veriſimilius, qvam qvod a parentibus ad Noachum & Adamum usqve, id qvaſi per manus "tradi-

" traditum fuerit, nam si hanc consvetudinem tam " mordicus tenuerunt, cur non plures multo speciosiores & utiliores, tam ad religionem qvam " Oeconomiam pertinentes,retinebant. „ Taceo, qvod antiqvissimi scriptores, qvi hoc & alia referunt, partim sint suspecti, qvod aut sint suppositítii aut interpolati, ut *Sanchoniaton*, *Orpheus*, aliiqve, partim recentiores, qvam ut de antiqvissimis populorum consvetudinibus dijudicare potuerint, ideoqve de suo tantum tempore & proximis seculis fide digni, omnes autem vel plures alienigenæ & extranei, qvod ab aliis acceperunt, sive verum sive falsum, scripserunt, & posteris propinarunt. Accedit tandem, qvod plurimi populorum festivitates a vespera inchoarunt, non qvod omnes dies ita inchoandos esse sentirent, sed ne ulla mora in ipso festo celebritatis inchoationem tardare posset. Hic autem mos peregrinis sufficientem præbuit cogitandi, divulgandi ac scribendi morem, hanc gentem omnes dies a vespera inchoasse. Desunt tamen probationes, qvod hunc morem potius a Noachidis, qvam aliis, aut aliis de caussis acceperint, qvas ut impossibile erit producere, ita multo satius est statuere, Phoenices & Ægyptios aliosqve Judæorum vicinos id ab his didicisse, & ad suas colonias propagasse, qvod multo est verisimilius, sed unde illum morem habuerint Judæi, supra dictum est.

§. CXXVI.

§. CXXVI.

Qvod autem gentes Septentrionis attinet, nos præeunte Celeberr. *Bocharto* Phaleg. Lib. III. Cap. 12. aliisqve eruditis, eum magno numero seqventibus, Japheti filiorum Thubal & Mesech posteros statuimus primo in regionibus Asiæ Septentrionalibus inter Mare Caspium & Pontum Euxinum, ut & fluvios Volgam & Tanaim primitus vixisse, ita tamen, ut fixas non semper habuerint radices, sed pastorali vitæ deditos nunc huc, nunc illuc, prout lætiora invenerunt pascua, se vertisse, & procedente tempore, ab aliis subseqventibus cum premerentur, semper in Regionem Aparctiæ ascendisse, usqve dum tandem ad Boream versi, fluvium Tanaim transeuntes, in septentrionem habitatoribus vacuum se infunderent, ita ut qvædam eorum familiæ per Poloniam & Russiam, antiqvis *Gardariki*, ad Mare Balthicum pervenirent, ejusqve australe littus legentes, tandem in Germaniam, Jutiam, & insulas Danicas pervenirent, unde in Regiones Septentrionis transfusæ, fixas tandem sedes obtinuerunt. Hi per multa Secula ab eo tempore, qvo primum ex familia Japheti egressi sunt, forte a prima gentium dispersione circa Annum Mundi 1800 facta, toto die huc illuc Nomadum instar, vagantes, nullum certum domicilium habuerunt, præter currus & tentoria, in qvibus pernoctaverunt, idqve sæpius

ſæpius in locis ignotis, qvibus ne certum qvidem nomen dare ſciverunt, qvem vivendi modum nos illis tribuere, nemo mirabitur, qvi legerit, qvod de Germanis ſui temporis ſcribunt *Cæſar* B. Gall. Lib. IV. & *Tacitus* de moribus Germanorum. Hæc autem vivendi ratio id effeciſſe videtur, ut dierum, qvos iter faciendo, venando, piſcando, huc illuc in locis ignotis diſcurrendo, vagandoqve transegerunt, obliti, manſiones tantum ſeu ſtationes, qvas habuerunt, & qvot in qvalibet earum noctes permanſerunt, per lapides in urnam conjectos, aut tale qvid numerarint, & memoria tenuerint, tandemqve temporis computum inſtituentes, eum primo per noctes in qvavis ſtatione transactas iniverint, illarum autem numero creſcente, per ſeptimanas, menſes & annos numeraverint, unde factum eſſe videtur, ut noctem primo pro integro die naturali, in minutisſimo illo computo, acceperint, & talem computandi morem ad poſteros transmiſerint.

§. CXXVII.

Hæc, ut puto, eſt veriſimillima cauſa, cur antiqvisſimi Septentrionis, Galliæ ſcil. Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ incolæ, noctem pro toto die numerarunt & nominarunt, minime qvod perſvaſi fuerint, noctem die priorem fuiſſe, eamqve perſvaſionem a primis parenti-

gentibus, qvasi per manus, ab uno alteri adferos usqve nepotes traditam, habuerint, qvod, ut nobis videtur, omni caret probabilitate, præsertim cum certum sit, Patriarchas non per noctes, sed per dies, menses, & annos, tempus computasse; & si hanc noctium numerationem a Noachidis habuerunt, cur viri, patriorum institutorum tam tenaces, non plures Noachicæ & Adamiticæ sapientiæ, theologicas, historicas, morales, oeconomicas, physicas &c. reliqvias conservarunt, qvæ cum apud eos perierint, non aliud de hac re statuendum, putamus. Procedente autem tempore fixas nacti habitandi sedes, acqvisitam ex longa rerum experientia, & cum aliis cultioribus gentibus conversatione, consvetudinem noctes pro integro die numerandi non penitus abjecerunt, sed ita perpoliverunt, & moderarunt, ut illis ad certas tantum rès & domestica ac Oeconomica negotia determinanda uterentur, idqve tantum cum de breviori temporis spatio ageretur, ad vitandam omnem æqvivocationem, & amphiboliarum mæandros, qvæ ex dierum numero facillime incurrere potuerunt, qvamdiu mensium dies non notaverant; de longiore autem tempore loqventes aut statuentes, per menses, semestria, & annos, calculum instituerunt, perinde ac de Islandis dictum est. Hæc enim methodus ut est nativæ simplicitatis, ita animæ, ex objectis & rerum

statu

ſtatu recte ratiocinandi ſtudentis, genuina nota.

Et manum de hac tabula.

Addenda & Corrigenda.

Pag. 13.	Lin. 9.	pro *ἔητον*,	legendum: ῥητὸν.
— 18.	— 30.	— *profecta* —	— profectæ.
— 28.	— 23.	— *videtur* —	— videtūr.
— 59.	— 8.	poſt verba: *exorſos fuiſſe*, addend. Conf. Gen. 19. v. 34. ubi major Lothi filia dixit ad minorem: dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, ubi expreſſe vocat proxime elapſam noctem heri ſeu heſternam, tribuens eandem priori diei, ſed ſubſeqventem vocat hanc noctem, id eſt, ad hunc diem pertinentem.	
— 59.	— 11.	pro *libereſt* —	— liberes.
—	— 12.	— *ſonaſſe* —	— ſonaſſet.
— 75.	— 14.	— *ali* —	— alii.
— 131.	— 16.	— *itaqva* —	— itaqve.
— 144.	— 17.	*ſic* delendum.	
— 173.	— 1.	— *annumo* —	— annum.
— 224.	— 1.	— *donatö* —	— donato.



Pag. 31. l. 16 – potiturque: leg. – patiturque
38. – 3. expung: – non –
50. 14. – ut Jacob. l: – quod Jacob. – non mirum,
77. 23. Adde: Errant itaque qui עֵבֶר Es. 9, 1
& πέραν Matth. 4, v. 15 per Trans
Jordanem exponunt, cum verten-
dum sit secundum v. ad Jordanem.
Utraque enim haec tribus in Gali-
lea fuit, cis Jordanem, ut Choro-
graphia ostendit.
109. – 16. Post: vide supra § XXIV – adde.
ubi ejusdem Auctoris ex eodem
Cap. v. 59. verba hoc modo ad-
feruntur – toto die & tota nocte –
unde suspicio oriri potest, prio-
rem locum corruptum esse, quam
conjecturam excusatum imus
Celeberr: Glassii verbis in Philol:
Sacra De Textus Ebraei puritate
dicentis – Ut in vivam aqua-
rum scaturiginem incidens la-
pillus, eam non inquinat, ita nec
Textum Biblicum tam parva
mutatio

P. 127. l. 15. unnuente l: annuente.
130. — 3 aburde. l. abirde.
230. — 3 similiter etiam. l. similia auto

